CASUS CONSCIENTIÆ PRO REGNO POLONIÆ

EX DECLARATIONIBUS SUMMORUM PONTIFICUM, CONCILIORUM PROVINCIALIUM EIUSDEM REGNI DECRETIS. NEC NON EX AUCTORIBUS THEOLOGIS ISTIUS GENTIS.

COLLECTI

UNIVERSIM 100.

AUCTORE P. ANDREA A SPIRITU SANCTO ORDINIS DISCALCEATORUM SSS. TRINITATIS RED: CAPTI. SACERDOTE PROFESSO, & DEFFINITORE PROVINCIÆ POLONÆ.



VARSAVIÆ

Typis Sacræ Regiæ Magestatis Anno 1776.

BENEDICTA SIT SSS. TRINITAS

Fr. Alexander a Conceptt. Bæ V.M. Ordinis SSS. Trinitatis Redeptt. Captt. per Poloniam & Lithvaniam Minister Provincialis.

CEntum Casus conscientiæ pro Regno Poloniæ ex SSrum Pontificum Declarationibus, Sancitis Synodorum Provincialium, & Polonorum Theologorum resolutionibus concinnatos a Pre. Fre. Andræa a Spiritu Sancto Instituti nostri Theologo & Deffinitore Prvœ cum selecti a nobis Theologi reviderint & in Lucem edi posse probaverint, Facultatem eosdem typis imprimendi impertimur, si ita videbitur ad quos de Jure spectat.

Dedimus Varsaviæ ex Cænobio nostro Die Decima Quarta Mensis Junii Anno 1776

Fr. Alexander a Concept. B.V, Mariæ
Minister Provincialis,

IMPRIMATUR

Die 25. Junii 1776: Joannes Aloysius Vit. ALEXANDROWICZ Episcopus Dardanen: Offic. Gener: Varsaviensis mpp.



PRÆFATIO

CUm gravioribus diſtentus curis a Religione Sacra demandatis, juſtum volumen de rebus

moralis Theologiæ, cujus ſtudium omnibus Eccleſiaſtici Ordinis viris apprimè neceſſarium nemo ambigit, proferre, & fuſiore calamo Conſcientiæ caſus efformare haud potuerim, quoſdam dumtaxat partem otii quietiſq; nactus, ſeligendos, exiguæq; paginæ commendandos in animum in duxi, eos præcipuè, qui Tyronibus Poloniæ Theologis uſui & emulumento eſſe queant. Quibus Lucubratione tam exilis Opuſculi parvam equidem navare operam me profiteor, ſed ob caſus hic relatos

in Patria noſtra ſæpius occurrentes non inutilem cum non ita multos Declarationibus Summorum Pontificum, ſimulq; Synodorum Provincialium Poloniæ Decretis inſtructos eſſe probè noverim. Porro congerendis rationibus (ut vocant) intrinſecis haud ſtudueram, innixus potiſſimum Supremorum Eccleſiæ Moderatorum, ac præſtantiſſimorum Poloniæ Antiſtitum, aliorumq; graviſſimorum Patrum auctoritati, qui iſta ſuo judicio comprobarunt. Horum alia ſancita, quum hæc pagina ſingula

capere non possset, legesis, si plura desideres, mihi centum Conscientiæ Casus pro utilitate Polonorum Theologorum adnotasse satis esto.



PRO
REGNO POLONIÆ
CASUS I.

Acatius Prior Monaſterii Regularium in Polonia, obviolata alterius Parochiæ jura grave odium incurrit Epiſcopi, qui propterea Acatium multis affecit incommodis. Dum igitur longiore tempore

magnas exercuissent simultates, contigit ut Abbas peregrè profectus moreretur, & Acatius in Abbatem eligeretur. Quæsitum proinde est, a quo solemnem benedictionem petere debuerat Acatius, num omnino ab Episcopo sibi infenso vel ab alio? *Respondetur* 1mo Si Sacra Religio Acatii speciale non habuit privilegium, quo ampla tribuitur facultas Abbatibus ejusdem Ordinis suscipiendi benedictionem a quocunque Catholico Episcopo, petenda erat benedictio ab Antistite loci ordinario. Quia & Episcopi Diæcesani in Regno Poloniæ præscripserunt legitime jus benedicendi Abbates etiam exemptos ut inquit Piasecki Part. 2. cap. 3. Artic. 6. & novissimè Benedictus XIII. id ipsum constitutione sua quæ incipit Commissi edita 6. Maji 1724. declaravit. *Respondetur* 2do. Quodsi Episcopus Diæcesanus ab Acatio tertio petitus benedictionem impertiri Eidem detrectaverit, potuit Acatius, a quocunq; Catholico Episcopo benedici, ut patet ex eadem constitutione Benedictina, quæ etiam specialioribus privilegiis, seu indultis exceptivis ab obligatione suscipiendi bene-

dictionem ab Antistite Diæcesano quibusdam Congregationibus a Sede Apostolica concessis, liberrimè frui permittit.

CASUS II.

ANselmus Episcopus defuncto Archidiacono suæ Ecclesiæ, ad muns Archidiaconi prætermissis in jure & Theologia peritis viris, suum consangvineum alioquin probum, sed illiteratum, assumere constituit. Quod dum Capitulo suo aperuisset, reclamarunt ad unum omnes, & ut doctus Vir Archidiaconatum obtineret, censuerunt. *Respendetur* merito Capitulum rejecisse indoctum, ne officium Archidiaconi consequeretur. Quia Leo X. P.M. ad petitionem Sigismundi I. Regis Poloniæ per Bullam. *Etsi exdebito* Anno 1513. pro Regno Poloniæ editam decrevit, ut ad munia Archidiaconorum Doctores ac licentiati in jure, aut Theologia, tantum eligi, & assumi possint, qui in aliqua universitate ad Doctoratus sive licentiæ gradus promoti fuerint. Archidiacono etenim incumbit promovendos ad Ordines examinare, & approbare idoneos, proinde debet esse in scientia Theologica præcellens.

CASUS III.

AUrelius Doctor Sacræ Theologiæ juxta dispositionem Leonis X. P.M. ejusq; Bullam adRegem Poloniæ Sigismundum datam officium Archidiaconi consecutus, post aliquot certum tempus residentiæ suæ ad Ecclesiam, profectus est ad visitandos Fratres & consangvineos suos absq; facultate Episcopi, nempe initio Anni 1774. existimans se cito reversurum, sed ibidem mensibus octo dimoratus, dubitare cæpit, an saltim pro reliquis quatuor mensibus illius Anni, quibus resedit, potest sibi retinere fructus? *Respondetur* juxta Eandem Leonis Bullam *Etsi ex debito.* Non potest, sic enim disponit Pontifex. *Jn absentia obtinentium dictos Archidiaconatus, quando ultra medium annum Eos abesse contigerit, sicut ipse Episcopus in Synodo Eorum absentiæ tempus designaverit, fructus illius anni minime percipere valeant, sed illi in utilitatem Residentium convertantur.*

CASUS IV.

BAsilius ut beneficium a Benedicto Patrono facilius impetraret, cum intellexiſſet demortuum Parochum frequentes cum Benedicto Lites habuiſſe, ſanctè promiſerat ei ſe nullam litem moturum, imo decimas quandoq; illius ſubditis condonaturum. Obtento beneficio Baſilius non dum Sacerdotio initiatus, alium conduxit ut curam animarum exerceret, ipſe vèro cum Benedicto Patrono ob tumultus bellicos in Polonia, in Galliam profectus, ibi ultra annum dimoratus eſt. Quod cum delatum fuiſſet Vicario Generali Epiſcopi, is Baſilium privavit beneficio, & inhabilem declaravit ad alia obtinenda. *Reſpondetur* optimè factum eſſe a Vicario Generali: Quia imprimis Baſilius citra labem Simoniæ non potuit ita paciſci cum Patrono. Tum etiam commorando ultra annum in Gallia abſq, venia Epiſcopi beneficium ac fructus omnes amiſit, cum Sacerdotium ſuſcipere neglexiſſet. Jta quo ad utrumq; declaravit Synodus Provincialis Petricovienſis anno 1628. per Epiſtolam Macie-

iowſki Cardinalis Primatis Regni a ſe & ab Urbano VIII. approbatam. Jd ipſum deciſum eſt in antiquiore Synodo Loviciana anno 1556, & demum in Synodo Cracovienſi anno 1643.

CASUS V.

BErnardus quamvis nunquam in Academia Cracovienſi ad Lauream Doctoratus promotus fuiſſet, confiſus tamen quorundam Procerum patrocinio aſpiravit ad certum beneficium quod nonniſi Doctoribus illius Academiæ conferri ſolet, unde ad ſedem Apoſtolicam recurſum fecit. Sed Epiſcopus Cracovienſis Academiæ Cancellarius admonuit Bernardum, ut a propoſito deſiſteret, cum ejuſmodi beneficium invitis Doctoribus ne utiquam ſit obtenturus, tametſi ad ſedem Sanctam apellaverit, *Reſpondetur* Bernardum non potuiſſe memoratum conſequi beneficium ut declaravit Leo X. P.M. per dictam Bullam. *Etſi ex debito* in qua legitur. *Ad beneficia quæ non niſi Doctoribus Magiſtris Lectoribus Scholæ Cracovienſis concedi ſolent, etiam ſi aliæ diſpoſitiones a Sede Apoſtolica*

fiant, non concedantur aliis, nisi medietatis Doctorum vel Professorm expressus accedat consensus,

CASUS VI.

BOnifacius in Diæcesi Posnaniensi Beneficiatus cum esset timoratæ conscientiæ, lethaliter æger dubitare cæpit, utrum ex consvetudine in Polonia vigente possit fructus beneficii totius anni donare cuidam Pauperi decimo mense beneficium per mortem dimittendo. *Respondetur* affirmativè Quia citatus Pontifex Leo X. in Concilio Lateranensi anno 1515. Regno Poloniæ privilegium concessit,ut beneficiati mo rientesinprimis tribus mensibus anni habeant totam quartam partem proventuum ejus anni, in secundis tribus totam medietatem, in tertiis tribus tres partes, in reliquis integros proventus. Quod privilegium consvetudine recepta illud interpretandi practicatur in nostro Regno etiam inter vivos beneficia dimittentes: ut bene advertit Piasecki Part. 2. cap. 3. Artic. 2.

CASUS VII.

BItvardus Episcopus in Polonia Botvido suæ Ecclesiæ Cathedralis Canonico, viro dexterrimo, & de se atque Capitulo apprime merito concessit inconsulta Sede Apostolica, idq; quo adviveret Botvidus, quædam Bona mensæ Episcopalis cum consensu Capituli, ut ejus labores eggregiè remuneraret, tametsi nonnulli scrupulosiores, dicerent concessiones hujusmodi factas non subsistere juxta Bullam Urbani VIII. quæ incipit *Romanus Pontifex* editam 5. Julii Anno 1641, svaderentque ut a Romano Pontifice facultas obtineretur. *Respondetur.* Hæc concessio bonorum facta Botvido fuit valida & licita, quemadmodum declaravit Sacra Congregatio 26. 7bris anno 1646. sub Jnnocentio Papa X. ad petitionem Episcoporum Poloniæ Regni. *Nimirum per prædictam Urbani VIII. Bullam non esse derogatum antiquissimæ consvetudini in Polonia, quod Episcopi vel alii Prælati possint Canonicis & Personis Capitularibus bene meritis de eorum Ecclesiis, vel Personis, quædam Bona de propriis men-*

ſis ad vitam ipſarum Perſonarum concedere non requiſito beneplacito Apoſtolico, ſed de Capitulorum tantum conſenſu, ita Sacra Congregatio.

CASUS VIII.

IN Bonis Borromæi Abbatis quidam Nobiles Poloni idq; potentes ſub ſpecie hoſpitalitatis multa devorabant, atq; in abſentia ejuſdem ſub vana ſeu ſimulata confidentia quædam a Gubernatore Bonorum extorquebant invito Borromæo, & gravem ſibi fieri ab illis injuriam conquerente. Quod dum perlatum eſſet ad judicium Eccleſiaſticum, hoc decrevit, ut ſi deinceps nobiles talia auderent, ab in greſſu Eccleſiæ arcerentur. *Reſpondetur* ſapienter ita decretum eſſe: hanc enim pænam conſtitutiones Synodales Regni Poloniæ approbatæ a Joanne XXIII. per Bullam *ad ſtatum Eccleſiarum*, item a Martino V. per Bullam. *Ad ea ex Apoſtolica ſervitute* ſtatuêre contra taliter delinquentes: ut habetur Lib. 3. Conſt. titulo de immunitate Eccleſiaſtica pagina 239.

CASUS IX.

BRixius Procurator Bonorum Episcopalium subditos a se divexatos minis ac verberibus deterrebat ab injuriis ad Episcopum & Capitulum deferendis, ægerrimèq; semper tulit admonitiones præsertim Capituli. Jtem causas circa graviora crimina a suis servis in Bonis ejusmodi perpetrata per compositiones, ut fieri solet in Polonia, expediebat, & absolvebat. *Respondetur* Brixium enormiter deliquisse. Nam praxim hanc tanquam iniquam reprobat Synodus Provincialis Nostri Regni celebrata anno 1643. titulo de Bonis Ecclesiasticis, præcipitq; ibidem *ut enormia scelera sive a servis Episcopi sive ab aliis admissa in Bonis hujusmodi aut nusquam componantur sed puniantur, aut talis compositio fiat cum assensu Capituli.*

CASUS X.

BRuno Poloniæ Exercitus in finibus Regni Legatus (Regimentarium vocant:] quæsivit inter familiares collocutiones ex Capellano Castrorum an liceat ex Bonis

Eccle-

Ecclesiasticis subvectiones in rem Exercitus Patriæ seu currus & equos accipere æque ac ex bonis Laicorum? *Respondit* Capellanus licere in gravi necessitate idq; non privato nomine, sed jussu Legati præsertim in tribus casibus, nimirum. Si traditio Ducis exercitus, vel traditio alicujus castri timeatur, aut si exercitus Patriæ adventus iam fuerit nunciatus. Jta decisum manet per Constitutiones Synodal s Poloniæ Provinciæ a Sede Apostolica approbatas lib. 3. titulo de immunitate Ecclesiastica pag. 242 verum occurrente prima opportunitate restituendi sunt legitimis Dominis ejusmodi currus & equi ut ibidem præcipitur, nam qui acceptos detinuerit, alienaverit, aut propriis usibus deputaverit denuncietur excommunicatus, neq; absolvatur, donec læsæ parti satisfecerit. Hucusq; Theologus ille Castrorum, & bene. Unde extorsiones ex levi causa sunt illicitæ.

CASUS XI.

CAjus Clericus non minus Nobilitate generist quam scientia illustris, videns ali-

quos ex obſcurioribus Parentibus natos ad Canonicatus dignitatem evectos, vehementer ſubiraſci ac murmurare cæpit contra Epiſcopum qui Civium Filios alioquin doctoſ nobilibus præferre fuiſſet auſus aſſerens, iniquiſſimam eſſe in Polonia conſvetudinem, ut aliqui ignobiles in tanta nobilium Clericorum frequentia ſtalla Canonicorum occupent. *Reſpondetur* Cajum immerito contra hanc praxim conqueri. Quia citatus Pontifex Leo X, ad petitionem Sigiſmundi I. Poloniæ Regis in Bulla pro Regno noſtro edita anno 1515. 31 Julii quæ incipit *Creditam nobis de ſuper*, prœſcripſit ut poſſint aſſumi non nobiles in Polonia quatuor Doctores ad Canonicatus, & Paulus III. per Bullam *Cunctis Orbis Eccleſiis* anno 1548. 16 8bris emanatam, quatuor prioribus quintum adjecit medicinæ Magiſtrum.

CASUS XII.

CAietanus Canonicus ac Judex deputatus ad Tribunal Regni, proviſus erat a Capitulo Cathedralis Eccleſiæ copioſo peculio:

namq; idem Capitulum, imo & Episcopus multas causas in Judiciis Tribunalitiis ventilandas habuerê. Sed Cajetanus tardius profectus ad Tribunal, & prius quam generalis Limitatio judiciorum facta fuisset, inde discesserat, proptwreaque non nullæ causæ, frustra allaborantibus Patronis, seu Jurisperitis, in sequentem annum a Judicibus rejectæ sunt. *Respondetur.* Præter alias pænas arbitrio Episcopi Cajetano infligendas, is tenetur peculium restituere Capitulo. Sic declaravit Synodus Provincialis Petricoviensis celebrata anno 1607 & a Paulo V. anno 1608. confirmata, titulo de Judicibus ad Tribunal Regni Deputatis pag. 11,

CASUS XIII.

QUidam Reverendi Ecclesiarum Præpositi non audebant contra potentes nobiles in Polonia mandata suorum Antistitum exequi propter dictorum nobilium enormem tyrannidem, qui neq; Episcopis neq; Parochis obedientes esse voluerunt, sed tantum Capellanis quos ad aulam fovebant.

Proinde Calliſtus Epiſcopus decretum promulgavit, ut nullus Presbyter Capellaniam aſſumeret in aulis nobilium, niſi jure jurando promtteret ſuo Præſuli, quod ad Synodos Ejus venturus ſit, & mandata Epiſcopi tam Domino, quam toti Familiæ, notificaturus, onerando conſcientiam Domini, ut pareat in Spiritualibus ſuo Paſtori. *Reſpondetur* optime Calliſtum ita decreviſſe. Sic enim præſcribunt Conſtitutiones Synodales noſtri Regni Libro 1. titulo de majoritate & obedientia pag. 104. ubi etiam inſinuatur. *Statuimus quod nullus Pr ſbyter in nobilium Capellis tanquam Capellanus officiet, niſi de ipſius Diæceſani ſpeciali facultate.*

CASUS XIV.

CArolus Clericus occidit Caſimirum nobilem Litvanum, cujus Frater vindictæ percupidus pro Carolo Caſſianum Clericum interfecit putans eſſe Carolum. Proinde tam Carolus Clericus, quam Frater Caſimiri profugi & clam latentes petunt abſolvi ab eiuſmodi peccato. Quæritur a

quo ſunt abſolvendi *Reſpondetur* ab Epiſcopo vel ejus Vicario Generali, quemadmodum præcepit Leo X. P.M. in Bulla *Sacro Sanctæ univerſalis Eccleſiæ* ad Sigiſmundum I. Poloniæ Regem expedita anno 1515. Die 9. Auguſti.

CASUS XV.

CElſus Clericus ut aucuparetur gratiam Chriſtini nobilis, expediendis ejus negotiis, totus mirum imo dum intentus erat, imo aliquando oeconomi, Commiſſarii, Procuratoris cauſarum munus ſuſtinebat, atq; in Judiciis propugnando cauſas Chriſtini non raro diſceptabat ſecundum conſvetudinem Patriæ cum eſſet juris peritiſſimus. Sed remorſu conſcientiæ aliquando agitatus, ex ſuo Confeſſario ſciſcitatus eſt, an poſſit deinceps eadem facere? *Reſpondetur*. Negative. Jd namq; non ſolum per SS. Canones interdictum eſt, ſed etiam Conſtitutiones Provinciales Regni noſtri ſevere prohibent, ne Clerici & Monachi audeant negotia Sæcularium pertractare, in Judiciis diſceptare, excepta

defensione Pupillorum & viduarum, atque Procuratores agere in causis Sæcularium ut habetnr Lib. 3. titulo ne Clerici & Monachi immisceant se negotiis Sæcularibus pag. 243,

CASUS XVI.

CHristophorus Prælatus commendavit Chrysantum ad Ordines promovendum insigniter quidem doctum & nobilitate illustrem, sed ludis & compotationibus nimis deditum, qui tandem ordinatus & quidem titulo patrimonii istud in rem Consangvineorum suorum ad coemenda certa bona peculio indigentium prodegit, persvaserat enim sibi a Consangvineis cuncta se habiturum, si tanta bona possiderent. *Respondetur.* I. Christophorum Prælatum gravissimé peccavisse scandalosum commendando ad ordines promovendum *Respondetur* II. Chrysantum non potuisse patrimonium suum alienare aut extingvere in rem Consangvineorum quibus confidebat. Jta ad utrumq; Synodus Provincialis Petricoviensis anno 1628. celebrata, per E-

piſtolam Macieiowſki Cardinalis titulo *de ordinatione Clericorum*, quæ Synodus cum dicta Epiſtola eſt approbata ab Urbano VIII anno 1629.

CASUS XVII.

COlumbanus Polonus in quadrageſima pro Collatiuncula veſpertina ſemper cibum aliquem coctum ſibi apponi curavit, cum autem Lectioni Theologorum moralium apprime delectaretur invenit in quibusdam Auctoribus non licere in Quadrageſima quotidie cibos coctos pro collatiuncula ſumere. Unde tanquam vir tenerrimæ conſcientiæ Parochum ſuum conſuluit, qui reſolvit ut Columbanus bono ſit animo quia nullatenus peccat in Polonia, qui coctum cibum etiam in quadrageſima manducat pro collatiuncula. *Reſpondetur* Parochum benè reſolviſſe. Tametſi enim Theologi quidam præſertim Jtali contrarium ſentiant. in partibus tamen Septemtrionalibus aliud conſvetudine inductum eſt, nempe ut cibus etiam coctus pro col-

latiuncula in Quadragesima apponi queat quemadmodum fatentur Doctores Germani & Poloni.

CASUS XVIII.

COsmas cum in libro Concionum Patris Młodzianowski Tom.3. Conc. 3. in Dominicam 4. Quadragesimæ legisset: indultum fuisse Polonis. ut iidem in Quadragesima possint secundam sumere refectionem feria tertia & quinta, imo & Sabbato ex facultate Sedis Apostolicæ data Opalinio Episcopo Posnaniensi, prædictis diebus in Quadragesima sumit secundam refectionem totalem absq; scrupulo. *Respondetur* Cosmam licite sumere non posse secundam refectionem præfatis diebûs in Quadragesima. Quia ejusmodi privilegiorum Regno Poloniæ concessorum nullum iam extat vestigium, & consvetudo sumendi binas refectiones memoratis diebus contraria Fidelium praxi abrogata est etiam in Polonia. Unde ad summum cænula seu plusculum aliquid dictis feriis in nostris partibus dumtaxat sumi potest, ut notat P. Bakanowski

in ſuis quæſtionibus Theologicis caſu IX. pagina 110. Tametſi & hoc aliqui negent.

CASUS XIX.

Conſtantinus Belga ſedem fixit in Polonia qui nihil magis obſervabat quam præceptum illud Eccleſiæ, ut ſemel in anno confiteretur, & Sacram ſumeret communionem, quod tamen primis diebus Quadrageſimæ factitabat, allegans conſvetudinem vigere in aliis quibuſdam Catholicorum partibus, ubi fideles quovis die Quadrageſimæ confeſſionem Paſchalem abſolvere, & communionem ſumere ſoleant, nec propterea arguantur. *Reſpondetur*: Conſtantinum non licite egiſſe. Quia Urbanus VIII. per Bullam *Exponi nobis* datam 1634. die 26. Octobris tempus communionis Paſchalis a Dominica Paſſionis uſque ad hebdomadam poſt Dominicam in Albis incluſive pro Regno Poloniæ determinavit.

CASUS XX.

CRescentius nobilis & opulentus negligebat communionem Paschalem, rogatus causam a Pastore suo, *Respondit* se impediri inimicitiis cum vicino suo & actione in jure ad communicandum ut practicatur a quibusdam in Polonia, neque audere Christum sacrilege sumere, cum impossibile sibi videatur satisfacere posse præcepto Ecclesiæ per communionem sacrilegam. Unde Zelosus Parochus iterum admonitum & non emendatum seu inobedientem prohibuit ingressu Ecclesiæ ex mandato loci Ordinarii, quem super hac re consuluerat. *Respondetur*: Justissimè Crescentius prohibitus erat ingressu Ecclesiæ. Jta enim constitutum est a Synodo Petricoviana habita anno 1628. per Bullam *Militantis Ecclesiæ* ab Urbano VIII, approbata, & continetur in Epistola Cardinalis Maciejovii titulo de *Sacrosancta Eucharistia.*

CASUS XXI.

CRispinus Sacerdos Regularis dum Sacram communionem prima die Resur-

rectionis Dominicæ Clericis sui Ordinis distribuerat, accessit etiam ad communicandum Crispianus Patronus Cænobii, qui Crispino in aurem insusurravit iam se communionem Paschalem in Parochiali Ecclesia feria quinta in Cæna Domini sumpsisse; nunc solum titulo tantæ festivitatis ex mera devotione communicare velle, proinde Crispinus Eidem communionem sumendam dedit inductus exemplo multorum in Polonia Sacerdotum, qui sine scrupulo Sacram communionem præbent solemni festivitate Resurrectionis Dominicæ iis quos sacram Synaxim sumpsisse in Cæna Domini norint. *Respondetur* Crispinum non bene fecisse. Quia Benedictus XIV. Jn Epistola ad Primatem & Episcopos Regni Poloniæ quæ incipit. *Magno cum animi nostri dolore* exarata 2 Junii anno 1751. expresse prohibet, ne Regulares Dominica Paschatis tribuant Laicis Sacram Eucharistiam etiam illis, qui in Cæna Domini Paschalem sumpsêre communionem.

CASUS XXII.

CYriacus Prædicator invitatus ad Concionandum in festo Sanctorum omnium noluit ad petitionem Parochi miracula quædam recenter facta per intercessionem S, Valentini, cujus imago ibidem summa veneratione coli cæperat, promulgare ex pulpito. imo svasit Parocho, ne oblata a Fidelibus hoc nomine vota appenderet in consultîs Episcopô, & Theologîs. Roganti quoq; Sacristiano ut post concionem res perditas ex ambona Cyriacus publicaret pro more ab aliis Prædicatoribus in nostra Patria frequentissimè observato, haud assensus est. *Respondetur imo* Cyriacum rectè egisse sic enim decrevit Synodus Provincialis Petricoviana anni 1628. titulo *de promulgationibus a Concionatore faciendis* ut habetur in Epistola toties memorati Cardinalis Maciejowski, inquiens *nova miracula ad Ecclesias & imagines non publicentur nisi adhibito Theologorum consilio, & supposita approbatione Episcopi neque oblata vota eam ob causam appendantur. Respondetur 2do.* Non esse etiam culpandum Cy-

riacum, quod res perditas publicare noluerit, niſi id ingens neceſſitas & magna damnum paſſi paupertas, poſtulaſſent, quemadmodum ibidem diſponitur.

CASUS XXIII.

CYprianus Parochus in maiore Polonia a Cyrillo vicinæ Eccleſiæ alterius Diæceſis Præpoſito invitatus erat proobeunda ſolemnitatis functione in feſto S. Joannis Baptiſtæ, ubi priuſquam ſolemniter rem Divinam ad aram operaretur, Fidelibus adminiſtravit Sacramentum pænitentiæ, quamvis nunquam in ea Diæceſi fuerit approbatus, neque Cyrillus ſpecialem haberet facultatem ab Epiſcopo illius Diæceſis, ut Sacerdotes alterius Diæceſeos confeſſiones Fidelium ibidem exciperent. *Reſpondetur* potuiſſe Cyprianum audire confeſſiones in Eccleſia ſuæ Diæceſi vicina idq; ex conſvetudine recepta in quibuſdam Poloniæ Provinciis. Quia hanc conſvetudinem tacito conſenſu probant Epiſcopi quidam noſtri Regni, neque obnituntur, dum Sacerdotes vicinarum Eccleſiarum mutuo ſeſe adjuvant in audiendis confeſſionibus ab Jiſdem

non approbati; quemadmodum practicatur in Provinciis maioris Poloniæ. Unde in aliis Diæcesibus consvetudo benè est attendenda.

CASUS XXIV.

DAmasus Præpositus cujusdam Ecclesiæ nihil magis prætenderat quam ut decimæ manipulares in specie frumenti sibi penderentur ab Hærede bonorum, in quibus sita erat Ecclesia, neque permittebat secundum morem ab antiquo introductum redimere decimas aliqua quota pecuniæ ex pacto assignata, dictitans compositiones & concordias de modo redimendi decimas esse mera nobilium Polonorum figmenta, proinde cum Hærede perpetuas simultates & rixas exercuit. *Respondetur* Damasum non justa prætendisse. Quia ejusmodi compositiones de redimendis decimis facere & confirmare Episcopis Poloniæ præcepit Urbanus VIII. P.M. ad petitionem Vladislai IV. rescripto suo. *Cum sicut dilectus filius* anno 1634. Quas compositiones Episcopi fecêre & confirmavêre, & quemadmodum Prædecessores Damasi observarunt, ita is tollere nequit.

CASUS XXV.

DAmm anus cujuſdam Monaſter i Abbas mota lite obtinuit decretum favorabile pro recuperandis duabus villis ſui Cænobii quas compluribus annis retinuerat Demetrius Regni Poloniæ Senator ejuſque Prædeceſſores. Jgitur Dammianus & Monachi Ejus occupatis, & in poſſeſſionem acceptis illis villis, noluerunt Parocho ſolvere decimas obtendentes ſua privilegia, tametſi dicta prædia ad ſolvendas decimas prius fuerint obligata, aſſerebant enim Monachi quod Decretum Sacræ Rituum Congregationis de ſolvendis decimis ex bonis a Regularibus obtentis, & decimarum ſolutioni obnoxiis, non fuerit promulgatum & acceptatum in Polonia. *Reſpondetur* Monaſterium Dammiani tenebatur revera ſolvere decimas ex ejuſmodi Bonis a ſe occupatis: nam privilegiis Regularium per Decretum S. R. Congregationis derogatum eſt, ut ſequitur. Jn cauſa decimarum Regni Poloniæ Die 17. Junii *anno* 1645. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, Re-*

gularium juribus & privilegiis mature discussis, censuit ab iisdem Regularibus solvendas esse Parochis & aliis Beneficiatis Regni Poloniæ decimas, quæ solvebantur a laicis, priusquam bona in Regularium proprietatem fuerunt translata. Quam declarationem S.R.C. Innocentius X. P.M. confirmavit per Bullam *Nuper pro parte Venerabilium* anno 1646. die 21. Februarii emanatam. Falsum porro est, quod ejusmodi Decretum promulgatum & acceptatum non fuerit in Polonia, quia illud Honoratus Vicecomes Archiepiscopus Latissenus Apostolicus in Regno Poloniæ Legatus publicavit, & totum Regnum acceptavit: ut Piasecki oculatus testis fatetur Par. 2. c. 4. Art. 9.

CASUS XXVI.

DEsiderius nobilis Polonus pendebat decimas Ecclesiæ ex agris suis fideliter, posteaquàm vero Sylvam ab agris antiquis progredientem extirpasset, & terram excoluisset, noluit ex agris illis novalibus decimam manipularem solvere, eo quod cultura agrorum novalium magnis sibi consti-

constitisset expensis. Jnterpellatus amice propterea a Parocho, respondit se nulla lege ad id teneri; cum etiam suus Frater Ecclesiasticarum æque ac civilium Sanctionum peritus, nec non eggregiè probus prohibuerit Ruricolis quovis anno Sylvam extirpantibus ibique seminantibus, ex novalibus agris decimas pendere. *Respondetur*. Jam Desiderius quam Frater ejus tenebantur ex agris novalibus decimas pendere. Jta Leo X. in Bulla *Decet Romanum Pontificem* data ad Sigisinundum I. Poloniæ Regem 30. Martii anno 1515, quæ inserta manet Constitutionibus Synodalibus Poloniæ Lib. 3. pag. 194.

CASUS XXVII.

DIdacus emit villam cum vastissima Sylva a vicino suo, cujus Sylvæ majorem partem extirpavit, & antiquam villam ad illum locum transtulit more patrio, cumq; nihil magis observasset, quam decimas Ecclesiæ reddere, quæsivit cuinam ex illis translatæ villæ agris pendendæ sint decimæ. *Respondetur*. Pro hoc casu sufficiens Polo-

niæ facta eſt diſpoſitio a memorato Pontifice percitatam Bullam *Decet Romanum Pontificem*. Ubi decernitur. *Quod ubique in Poloniæ Regno Sylvæ aut earum pars ab antiquis agris progrediens ſimul vel ſucceſſive in futurum extirpabuntur agros antiquos contingentes, agrorum novalium hujusmodi decimas Parochus percipiat ut prius, ſicut antiquorum agrorum decimam percipiebat. Ubi vero intra limites antiquæ villæ in ſylva agro, prato, vel intra ſylvam villa locabitur ſive denovo conſtruetur, ſive nuncupabitur antiquæ villæ nomine, ſive non, dictarum villarum decimæ novalium, ad Epiſcopi, in cujus Diæceſi nova villa exiſtit, menſam pertineant. Si autem villa antiqua modo Polonico locata ex loco in culto ad locum alium cultum & arabilem transferatur, ejus incolæ antiquos agros colentes aliquid progreſſive extirpent, is decimam percipiat, ad quem antiquorum agrorum perceptio decimæ ſpectabat.* Huc uſque Pontifex.

CASUS XXVIII.

DIdimus nobilis tenuioris Fortunæ duos tantum Ruſticos habebat, quibus peſti-

lentia extinctis cum tota familia, ipſemet agros colebat eorum, & quidem decimas ſolvere promiſit, ſed nulla alia onera portare volebat, quæ Eccleſiæ debebantur ab immemoriali tempore. Quid judicii? *Reſpondetur.* Si onera illa non erant contra ſtatum Didimi, debuit illa portare, ſecus ſi erant contra ejus ſtatum, quæ nimirum exruſcicitate in nobilitatem indigne transferrentur. Jta ſtatutum Regni Hungariæ verbo *Decimæ* acceptatum a Synodo Provinciali Poloniæ ut videre eſt Lib 3. Conſtitutionum tit de Decimis, pagina 190, niſi obſtet conſvetudo alia legitima, quæ obſervatur in illo territorio.

CASUS XXIX.

DItmarus cujuſdam villæ in Ukrainia Dominus pulsîs multîs colonîs ob eorum ſeditionem, agros ex quibus pendebantur Decimæ Eccleſiæ Parochiali in piſcinas & prata redegit, & nuſquam decimas ex illis agris debitas pendere voluit, allegans conſvetudinem, quod in multis locis dum rediguntur agri in piſcinas & prata, decimæ

non ſolvuntur. *Reſpondetur.* Tenebatur Ditmarus ad ſolvendas decimas non obſtante conſvetudine certis in locis vigente, quæ non eſt legitima conſvetudo, quemadmodum præcipiunt Conſtitutiones Synodales Regni noſtri Libro & titulo ſupra citatis pag. 193.

CASUS XXX.

DOminicus Parochus præcepit Ruſticis ſibi decimas pendentibus, ut manipulos ei debitos conducerent in horreum ſuum, ſed illi ſe excuſarunt. Et dum fuiſſet admonitus Dominicus ab Hærede villæ ut intra certum tempus tolleret decimam, ne Ruſtici in ſuis partibus detrimentum ſuſtinerent, ille minime fecit, proinde Hæres juſſit novem partes Ruſticis auferre, & decimam relinquere in vito Dominico. *Reſpondetur* ad 1*mum* Ruſticos ad conductum decimæ in horreum Parochi non teneri ex juſtitia ut colligitur ex privilegio Vladislai Principis Maſoviæ dato in favorem decimarum pro Episcopatu Poſnanienſi, & approbato per Conſtitutiones Provinciales Synodales Lib.

3. pag. 200. *Respondetur* ad 2*dum* potuisse Hæredem villæ licite præcipere colonis, ut tollerent novem partes, & decimam relinquerent. si hoc fecit ad servandos Rusticos indemnes, sic enim disponunt Constitutiones Synodales Poloniæ libro 3. titulo de decimis pag. 188,

CASUS XXXI.

DOrotheus Clericus deposuit suum scrinium cum supellectili in sacristia Ecclesiæ Parochialis, quod fures absque culpa Parochi abstulere. Petiit igitur Dorotheus damni compensationem a Parocho, sed frustra, proinde animi impatiens Dorotheus, per certos sæculares Parochi decimas manipulares rapuit ex agris, *Respondetur* præter Excommunicationem quam ipso facto incurrit, condemnandus est ad solvendum in triplo. Jta Synodus Provincialis Lanciciana Anno 1534. celebrata quæ addit ut *hujus pœnæ seu peculii dimidium ipso facto Ecclesiæ Diæcesanæ pro fabrica applicetur, dimidium vero, damnum passo exsolvatur.*

CASUS XXXII.

EDvardus æque opibus ac genere clarus, orbatus liberis pro more quorumdam nobilium in Polonia qui multarum Ecclesiarum vel capellarum Fundatores esse, & haberi volunt, in sua Parochia ad aliquot leucas protensa non paucas Ecclesias & capellas ædificandas procurabat invito Parocho, nam eam ob causam Parochialis Ecclesia propemodum desolata erat populo ad illas novas Ecclesias dilabente, & restaurationem Parochialis templi neque Parocho ob paupertatem, neque Edvardo Patrono procurante. *Respondetur* Edvardum non esse laudandum. Quia Synodus Provincialis Petricoviensis habita anno 1607 & approbata a Paulo V. sequenti anno 1608 per Breve Apostolicum *Remissimus Acta Synodi Provincialis* prohibet ædificationes tales multarum Ecclesiarum, ob quas Ecclesiæ Parochiales in desolationem veniunt, aut detrimentum patiuntur.

CASUS XXXIII.

ELeuterius Senator venationi nimium deditus, dum in sequeretur feras diebus ferialibus, Dominica aut festo solebat divertere ad quamdam Ecclesiam a sua Parochia dissitam, quam cum canibus & bombardis ingrediebatur. Quod animadvertens scrupulosior Ecclesiæ Rector Eleuterium primum blandè admonuit, deinde severè corripuit non sine comminatione incurrendæ censuræ. *Respondetur* merito Ecclesiæ Rectorem ista prohibuisse, nam Synodus Provincialis Regni Poloniæ anno 1634. 19. 9bris celebrata, & a SRC. anno 1635. confirmata titulo *de ingressu Ecclesiarum* cap. 5. statuit, ne deinceps etiam maximæ auctoritatis viri cum bombardis canibus avibusq; Ecclesiam ingrediantur sub pæna Excommunicationis.

CASUS XXXIV.

ELigius in Regno Poloniæ Episcopus Hæreticos in sua curia tollerabat, Scribâ, Consiliario Secretario a Catholicis usus, quibus e-

tiam diſputationes de fide ad menſam facere ſub inde permittebat. Ea propter infenſum Eligio Capitulum Cathedrale poſt ejus fata gratias nonnullas ex cauſa meritorum quibuſdam Clericis a defuncto conceſſas, nec non ab eodem Capitulo confirmatas, reſcindere compulit Succeſſorem Eligii. *Reſpondetur* ad 1*mum* Eligio haud licuit uti officialibus hæterodoxis iiſque ad menſam ſuam diſputationes permittere. Quemadmodum declaravit Gregorius XIII. in Epiſtola data ad Archi-Epiſcopum Gneſnenſem & Primatem Regni Poloniæ anno 1577. 29. Decembris, per quam ſeverè prohibetur Epiſcopis Poloniæ Scribas Conſiliarios Secretarios in ſuis curiis tolerare. Jta quoque decrevit Synodus Provincialis Petricovienſis anni 1551. *Reſpondetur* ad 2*dum* Succeſſorem Eligii non potuiſſe reſcindere ejus modi gratias ex cauſa meritorum de conſenſu Capituli conceſſas præſertim in contumeliam defuncti, prout decidit Synodus Provincialis Gneſnenſis Petricoviæ celebrata 1621. anno & a SRC. anno 1623. 29. Aprilis confirmata.

CASUS XXXV.

ERasmus Ecclesiæ Cathedralis in Regno nostro Prælatus eggregiè pius & zelosus semper ægerrime tulit absentiam sui Episcopi, a Diæcesi, sub inde tres sub inde quatuor annos Varsoviæ continuo ad latus Regium residentis. Factus ipse ob generis claritudinem vitæque probitatem Episcopus; & ad curanda Reipublicæ negotia vocatus, longiore tempore a sua Diæcesi ab esse cogitur. Unde quæsivit aliquando ex suo Theologo num incurrerit illas gravissimas pænas ob longiorem a Diæcesi sua absentiam per Constitutionem Urbani VIII. quæ incipit *Sancta Synodus* anno 1634. 12. Decembris emanatam, inflictas. *Respondetur* negativè. Quia hæc Constitutio Urbani VIII. in Polonia non fuit publicata, neq; usu recepta quo ad pænas illas rigidas, ut fatentur Theologi Poloni.

CASUS XXXVI.

EUgenius Antistes reconciliando Ecclesiam Parochialem a sceleratis civibus

violatam, ne directè solutionem pro reconciliatione exigere videretur, pænam pecuniariam violatoribus imposuit, ut compensaret sibi expensas itineris, quod satis longum emensus erat, propterea; haut statim reconciliationem fecerat. *Respondetur ad 1mum.* Tametsi Eugenius pro reconciliatione violatæ Ecclesiæ nihil potuisset exigire, revera tamen poterat ejusmodi pænam pecuniariam imponere. Et si Eugenii expensis non vero Procuratorum reconciliationis hæc facta est, totum pecultum debet cedere Eugenio; quodsi expensis procurantium reconciliationem, medietas tantum Eugenio, altera medietas convertenda in fabricam Ecclesiæ Cathedralis, ut decisum habetur per Constitutiones Provinciales Synodales libro 4. titulo de Simonia pag. 253. *Respondetur ad 2dum.* Eugenius debuerat facere reconciliationem violatæ Ecclesiæ intra tres menses, quemadmodum ibidem præcipitur.

CASUS XXXVII.

EUsebius Superior Regularis cuiusdam Cænobii permisit frequenter facere pro-

cessiones seu supplicationes publicas cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento extra ambitum suæ Ecclesiæ & Conventus ad mille passus & ultra, admonitus vero a Parocho loci blandè, amici enim erant, respo'uit suum ordinem communicare in privilegiis cum aliis Sacris Religiosorum Familiis, quibus haut illicitum est non solum in festo Corporis Christi, sed etiam in festo Rosarii aliisq; non nullis, hujusmodi processiones ducere extra ambitum Ecclesiarum atque Monasteriorum. *Respondetur* Eusebium non potuisse istud licite permittere, ut patet ex Brevi Innocentii X. P.M. ad Episcopos Poloniæ Regni expedito 22 Aprilis anno 1645. cujus initium est *alias a Venerabilibus Fratribus nostris* quo decernitur non obstantibus quibuscunque consvetudinibus & privilegiis, exceptis dumtaxat privilegiis Apostolicis, Regulares non posse habere processiones cum Sanctissimo Sacramento extra ambitum dictarum Ecclesiarum Monasteriorumq; nisi de licentia & consensu cum Cruce Parochi.

CASUS XXXVIII.

Eustachius Parochus dum esset processio cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, semper mandaverat supra modum timpana pulsare, clangorem tubarum edere cum in ingenti strepitu, imo montaria explodere maioris celebritatis gratia, ut fieri solet in Polonia, quod quibusdam Fidelibus displicuit, multo plures tamen probavêre. *Respondetur* Eustachium culpandum esse potius quam laudandum. Colligitur id ex Constitutionibus Synodi Provincialis Varsaviæ celebratæ anno 1634. & a Sacra Rituum Congregatione anno 1635. Die 1. Septembris approbatæ, titulo de *reverentia Divinorum officiorum* cap. 18. verba sunt Synodi. *Prohibetur ne in Ecclesiis quibuscunq; circa processiones cum Sanctissimo Sacramento, adhibeantur timpana tubarum insoliti clangores, cum hæc magis castris, quam devotioni Ecclesiæ accommodata utique videantur; item tormentorum explossiones, præterquam in nocte Resurrectionis Dominicæ.*

CASUS XXXIX.

EUtichius Parochus exorcizando Energumenum, quum Dæmonem expellere non potuisset pixidem cum Eucharistiæ Sacramento imposuit capiti Energumeni. Unde diabolus edito ingenti clamore ita corpus obes agitavit, ut parum abfuerit, quin Eutichio pixidem cum Sanctissimo Sacramento è manibus extorserit. Idem Eutichius paulo post exorto in Urbe incendio extraxit ex tabernaculo vas cum Sanctissima Eucharistia, cum qua descendit in plateam benedicendo locum illum, qui incendio depascebatur canente populo supplicationes consvetas ante Sanctissimum Sacramentum in platea, ut frequenter fieri solet in partibus nostris. *Respondetur ad 1mum* Eutichium non recte egisse imponendo pixidem cum Eucharistia capiti Energumeni. Quia Benedictus XIV. Pontifex Decreto, quod incipit *cum proximo* anno 1755. 27. Julii edito, hanc praxim præsertim in partibus Septemtrionalibus vigentem improbat & tollit. *Respondetur ad 2dum* Eutichium non bene etiam fe-

ciſſe. Quia citatus Pontifex Benedictus XIV in dicto Decreto id quoq; prohibet, atque commendat *ut in ejuſmodi caſu aperiatur ſolum tabernaculum, & ante Sanctiſſimum Sacramentum fundantur preces in Eccleſia pro extingvendo incendio, ac nullatenus Sacramentum extra Eccleſiam deferatur.*

CASUS XL.

FAbianus Jtalus cum in quadam Poloniæ Urbe moraretur, vidit nundinas in feſto Aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis ibidem celebrari a meridie poſt matutinas precationes, proinde nundinas Poloniæ appellavit mercaturam ſatanæ. ſed Fauſtinus vir doctus eidem repoſuit, hanc conſvetudinem in Polonia ſemper viguiſſe, imo complures Polonos Theologos aſſerere id licitum eſſe, dummodo populus matutino tempore ſacro & concioni aſſiſtat. *Reſpondetur* Fabianum merito nundinas die feſto in Polonia celebratas reprobaſſe, ideoque quorundam Theologorum noſtræ Patriæ ſententia ſuſtineri non poteſt, ſed omnino nundinæ diebus Sacris aboleri debent. Ut

patet ex Epiſtola Nuncii Apoſtolici in Regno Poloniæ Joſephi Comitis Garampii juſſu Sanctiſſimi Pii VI. data ad Epiſcopos ejuſdem Regni anno 1775. die 30 Junii. Ideo enim memoratus Pontifex feſtos dies in Polonia diminuit, ut in reliquis feſtivitatibus nundinæ & alia, quæ devotæ feſtorum celebrationi obſistunt penitus tollerentur. Eamdem pravam conſvetudinem nundinas celebrandi diebus feſtivis in Polonia eradicandam pridem decrevêre Conſtitutiones Synodales libro 2. titulo *de feriis* his verbis, *ſtatuimus ut nundinæ & forannalia & hebdomadalia quæ in feſtis ſolemnibus forſan ex privilegiis, vel prava conſvetudine cum Dei indignatione ſolita ſunt in aliquibus locis contra præcepta Divina & Eccleſiæ inſtituta celebrari pro die altera ſequenti feriali, quo feſtum non celebratur immediata transferantur, & celebranda publicentur. Ad quod etiam ut Sæculares inducantur curandum erit, ne Divinæ Majeſtatis indignationem, Canonum Statutorumque Provincialium pœnas, incurrere poſſint.*

CASUS XLI.

FLorentius cujusdam villæ Dominus & Hæres cum non ita multos subditos Ruricolas haberet, præcepit ejusdem, ut etiam illis diebus, qui olim in Polonia festivi erant, nunc autem ex dispensatione Pontificia haud coluntur, sæpius laborare. Jd cum Capellano ejus innotuisset, severè Florentium reprehendit, & nisi inposterum desisteret ab ejusmodi mandatis, minatus est illius aulam deserturum se intra breve tempus. *Respondetur* justissimè Florentium a Capellano fuisse objurgatum. Quia idem Pontifex Pius VI. ex benigna comiseratione erga pauperes Ruricolas quædam festa in Polonia novissime abrogavit, non vero ut cupiditati Dominorum faceret satis; ut colligitur ex memorata Epistola ex mandato Pontificis ad Episcopos Poloniæ emanata.

CASUS XLII.

GAllicanus in suis Bonis, quæ ampla satis possidebat jure hæreditatis, imposuit

gabel-

gabellas existimando sufficientem ad id se habere auctoritatem, cum Hæredes bonorum in Polonia sint æquales quo ad suam hæreditatem Principibus absolutis, ut videtur Patri Pikulski part 2. Sectione 2. Art. 2. dummodo non ex avaritia imponant hujusmodi gabellas seu pedagia. Sed *Respondetur* quemadmodum Poloni nobiles æquales neutiquam sint Principibus absolutis in suis bonis hæreditariis, non enim habent jus gladii, neque potestatem condendi leges, aliaq; privilegia propria Principibus absolutis, ita nec poterat Gallicanus nova imponere pedagia, ut sentiunt alii Theologi Poloni, imo monendi sunt nobiles, ne novas augendorum proventuum rationes concipiant, cum istud absq; suorum subditorum, vel aliorum injuria vix fieri queat. Certe Constitutiones Synodorum Provincialium nostri Regni Bullam cænæ sæpius promulgare ac observare præcipiunt, & nusquam nobiles Polonos imponentes gabellas sive pedagia immunes esse a Censura declarant, si id fecerint privata auctoritate.

CASUS XLIII.

GAſparus Parochus Latinus diverſos cogitur baptizare infantes. Et quidem 1*mo* natum infantem ex Patre Latino & Matre Græca Latino ritu baptiſavit 2*do* Natum ex Matrè Latina & Patre Græco remiſit ad Parochum Græcum, ut ab Eodem baptiſaretur. Deniquo 3*tio*. Parentum Græcorum infantem graviſſimè infirmum baptiſando in neceſſitate ob abſentiam Parochi Græci, obligavit Patrinos, ut ſi infans a ſe baptiſatus ſupervixerit, ad ſequendum ritum Latinum ab iiſdem compelleretur. *Reſpondetur* 1*mo*. Ad priores duos caſus non obſtante declaratione Benedicti XIV. pro Jtalo-Græcis in hujuſmodi circumſtantiis in Poloniæ Provinciis attendenda locorum conſvetudo ſicut invaluit: nam quibusdam in locis liberi maſculi ſequuntur ritum Patris, fæmellæ vero ritum Matris, alibvero omnes liberi ex Patre Latino & Matre Græca prognati baptiſantur ritu Latino, vel e contra. *Reſpondetur* 2*do*. Jn tertio caſu Gaſparum imprudenter feciſſe. Nam talis infans, ſi ſupervivat, debet imprimis

a Parocho ſuorum Parentum confirmari ritu Græco, atque ſequi ritum ſuorum Parentum. Neque in contrariam partem favet baptiſmus collatus a Sacerdote ritus Latini ut pote in neceſſitate dumtaxat collatus. Quod ipſum etiam Benedictus XIV. declaravit pro Jtalo-Græcis Epiſtola 26. § 2.

CASUS XLIV.

GEnimianus Clericus ritus Græci illectus ſpe obtinendi beneficium in Latina Eccleſia; quod ſe eidem libenter collaturum promiſit Gennadius vir nobilis ac Jlluſtris pro navata olim in inſtitutione Filiorum ſuorum opera, cupit tranſire ad ritum Latinum. *Reſpondetur:* Eum id facere non poſſe ſine expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia & facultate. Jta ſtatuit Urbanus VIII. decreto edito 7. Julii anno 1624. Nec non Benedictus XIV. Epiſtola 26. de Ritibus Jtalo-Græcis, §. 2. citatis, ubi habetur. *Adultis autem ſiquidem, ſunt Eccleſiaſtici in quocunq; ordine minori, vel etiam maiori conſtituti, Sæculares vel Regulares a ritu Græco ad Latinum ſine expreſſa Sedis*

Apostolicæ licentia transire non liceat. Quod etiam in Regno nostro hucusq; observatur.

CASUS XLV.

GEnsericus Nobilis ex Latinis Parentibus progenitus, ac Latino ritu educatus, statuit Clericalem assumere vestem, & ad Sacerdotalem ascendere dignitatem, cumq. titulum ex patrimonio sufficientem habere non posset, atque cælibatus sibi minimè placeret, quod majores quotidie carnis stimulos pateretur, Filiam Gerardi ritus Græci Sacerdotis unicam & locupletem in conjugem accepit, moxq; Parente ejus defuncto beneficium ab Hærede villæ impetravit, quæsivitq; an posset ad Sacros Ordines promoveri ritu Græco suscipiendos absque dispensatione Pontificis. *Respondetur:* Negativè quemadmodum a pari de Græcis Jtaliæ Benedictus XIV. declaravit in memorata Epistola 26. §. 7. inquiens. *Neque permittendum, neque ullo modo tolerandum ut Latini ex Latinis progeniti, & Latino ritu educati, qui continentiam profiteri nolunt, ad Sacros Ordines (videlicet ritu Græco suscipiendos] a quocunq; Antistite,*

quavis auctoritate fulgente, promoveantur. Et quod etiam isti in nostra Russia non possint promoveri ad Ordines Græcos ipsimet Theologi Græci Russiæ a me consulti suo judicio comprobarunt.

CASUS XLVI.

GEorgius Sacerdos disunitus ordinatus Kiioviæ in Moschovia ab Episcopo ejusdem Religionis, cognita veritate fidei Catholicæ una cum Gordiano Filio suo fugit in Russiam ditionis Polonicæ, abjuratoq; Schismate, ibidem obtinuit beneficium. Sciscitatur proinde utrum egeat dispensatione. Vel an saltim Gordianus Filius ejus ad Fidem Catholicam etiam conversus citra dispensationem ordinari possit *Respondetur.* Georgium egere dispensatione super irregularitate. Jta decrevit Clemens VIII anno 1597, prohibens talibus ministrare in ordinibus per eos susceptis, nisi cum iis super irregularitate ex hac occasione contracta, auctoritate Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum. Quod spectat Gordianum Filium Georgii, is citra dispensationem ordinari potest, *quia*

tales communiter admittuntur ad Ordines, neque petunt diſpenſationem. ut practicatur in partibus noſtræ Ruſſiæ inquit Piaſecki Part. I. Cap. 1. Art. 3.

CASUS XLVII.

GOrgonius Ruthenus pictor pervenit in majorem Poloniam animo ibidem perpetuo manendi, contraxit matrimonium cum Latina muliere, hinc & ipſe ritum ſuum mutavit, eo quod in majori Polonia non vigeat exercitium ritus Græci. *Reſpondeo.* Videtur Gorgonium licitè feciſſe. Nam præterquam quod omnis advena licitè ſe accomodat ritui & conſvetudini Provinciæ in qua verſatur, ut ſapienter in hoc caſu advertit Bakanowſki in ſuo opuſculo morali pag. 224. Decretum Urbani VIII. editum 1624. de non tranſitu ad ritum Latinum Ruthenorum in Regno Poloniæ abſq; diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ ad inſtantiam Procerum ejuſdem Regni reſtrictum eſt ad ſolos Eccſiaſticos, ne videlicet fieret injuria nobilibus Ruthenis in Polonia. Quod patet ex eo, quia poſt Decretum illud Urbani, aliqui Græci no-

biles ſive Rutheni ſupplicarunt Sedi Apoſtolicæ pro obtinenda diſpenſatione, ut tranſire poſſint ad ritum Latinum, & Sacra Congregatio reſpondit illos ut pote Laicos non egere diſpenſatione, ut adnotavit Pikulſki Parte 2. Sectt. 6. Verum juxta Conſtitutionem Benedicti XIV. quæ incipit *Et ſi Paſtoralis* §. 2. Græci teneræ ætatis tantummodo cum licentia ſuorum Parentum, adulti vero cum facultate Ordinariorum tranſire poſſunt ad ritum Latinum, quemadmodum refert Lucius Ferraris verbô *tranſitus* & Alphonſus de Ligorio in Epitome Theologiæ titulo de *Baptiſmo*.

CASUS XLVIII.

GRatianus Ruthenus propter uxorem Latinam quam duxerat, aliaſq; cauſas conſultis Eccleſiaſticis mutavit ritum ſuum aſſumpto ritu Latino; mortua vero poſt aliquot annos uxore, cum nec in pago ubi degebat ille, neque in propinquiore loco haberetur Eccleſia Latina, & grave ſibi videretur Latina Feſta obſervare, iterum reaſſumpſit ritum Græcum. Eam obrem de-

latus fuit ad Superiores Ecclesiasticos, a quibus in ritu Latino permanere jussus est. *Respondetur*: Gratianum non potuisse licite reassumere ritum Græcum quem iam mutaverat. Quia alias ejusmodi homines quascunq; ob causas, possent quotiescunq; ipsis placuerit mutare ritum, assumendo nunc hunc, nunc illum, quod absque periculo scandali fieri nequit, unde hoc etiam Benedictus XIV. in Epistola supra citata de ritibus Jtalo-Græcis severè prohibet,

CASUS XLIX.

GRegorius Civis ritus Græci unus è politioribus timoratæ valde conscientiæ habens facultatem confitendi Sacerdotibus ritus Latini, venit nuper ad Confessarium Ordinis nostri sciscitans anxiè ab eodem, an jejunia præscripta ab Ecclesia Græca præter Quadragesimam, ut jejunium ante Festum S. Petri, item ante Festum Dormitionis B.V. Mariæ, atq; ante natalem Christi, teneatur servare non solum quo ad ciborum qualitatem, sed etiam quo ad

quantitatem, quemadmodum in Quadragesima jejunium observatur. *Respondetur:* teneri omnino Græcos servare dicta jejunia etiam quo ad quantitatem, ut non nisi in illis circumstantiis excusentur a prædicta quantitate, in quibus excusari possunt in Quadragesima. Et hæc resolutio est conformis menti Theologorum Græcorum nostræ Russiæ, qui consulti ita resolverunt.

CASUS L.

GVilielmus Latinus servus cujusdam Parochi Latini, rogavit Dominum suum, ut coram eo posset contrahere matrimonium cum Gundalpha muliêre Ruthena perquam opulenta quod & factum est non asque gravissima Parochi Græci indignatione, qui proterea Parochum Latinum coram Judice Ecclesiastico accusavit. *Respondetur* Gvilielmum non potuisse coram Parocho Latino contrahere cum muliere Ruthena, quidquid de Jtalo-Græcis decisum sit. Quia in partibus Russiæ nostræ contrarium practicatur, & observatur nempe dum mulier sive sponsa est Græca,

coram Parocho Græco initur matrimonium. Deinde si ambo ritus Latini contracturi matrimonium (: ut arguit quidam eruditus Theologus Græcus) non possunt inscio mulieris Parocho illud contrahere, multo magis mulier Græca cum marito Latino.

CASUS LI.

HYacinthus Polonus Catholicus zelozissimus templum, quod unicum erat in Urbe, ingressus, vidit aliquos Lutheranos seu Dissidentes ibidem orare, proinde ne cum iisdem in Divinis communicaret è templo mox eggressus in domum se se recepit, persvadens sibi minus esse peccatum Divina prætermittere, quam cum Hæreticis excommunicatis in Divinis communicare. *Respondetur*: Potuisse Hyacinthum in Polonia citra ullum peccatum manere in Templo, in quo Hæretici orabant. Quia Leo X. in Concilio Lateranensi Constitutione quæ incipit Sacrosanctæ Universalis Ecclesiæ edita anno 1515. indulsit expresse Regno Poloniæ ad petitionem Sigis-

mundi I. Regis, quod Catholici non teneantur etiam in Templis vitare Schiſmaticos, Hæreticos, ibidem præſentes orantesque, *dummodo iſti cum debito Divinorum Officiorum honore, & abſque aliorum impedimento exiſtant, nec poſſint ſine ſcandalo aut magna incommoditate prohiberi* inquit ibidem citatus Pontifex.

CASUS LII.

JAcobus Clericus in examine pro ſuſcipiendo Sacro Ordine Presbyteratus, quæſitus fuit 1*mo*. An feriæ ſextæ jejunium in Polonia ſtricte obliget tam quo ad qualitatem, quam etiam quo ad quantitatem ciborum. 2*do*. Utrum verum ſit quod Poloni jejunent in oleo ferias ſextas propter occiſionem Divi Stanislai Epiſcopi Cracovienſis. 3*tio* An jejunium ad Feſta Deiparæ Virginis Mariæ (: de vigilia Aſſumptionis certum eſt:) ſtrictè debeat obſervari ex aliquo præcepto in hoc Regno noſtro. *Reſpondetur ad* 1*mum* affirmative ita Synodus Provincialis Petricovienſis anni 1628. per Epiſtolam Cardinalis Maciejowſki Pri-

matis Regni approbatam una cum Synodo ab Urbano VIII. anno 1629. De hac obligatione jejunandi ſtricte feriis ſextis in Polonia, fuſe P. Młodzianowſki & alii Poloni Theologi. *Reſpondetur: ad 2dum.* Negativè. Sed jejunium feriis ſextis obſervatur ex pia conſvetudine a primis Chriſtianis Polonis introducta, cum Otto Epiſcopus miſſus in Polonicam Pomeraniam præceperit primis Chriſtianis feriis ſextis a carne & a lacticiniis abſtinere, ac die Dominico ad Eccleſiam convenire, quæ conſvetudo in aliis Provinciis obſervari cæpit. *Reſpondetur ad 3tium* jejunium ad Feſta Deiparæ ſimiliter non ex præcepto, ſed ex conſvetudine obſervari debet, quemadmodum probat P. Młodzianowſki cum aliis Polonis Theologis ex memorata Epiſtola Macieiovii Cardinalis in ſerta Conſtitutionibus Synodi Petricovianæ, anno 1628. celebratæ.

CASUS LIII.

JAnuarius Ruſticus inter alia peccata in Tribunali pænitentiæ e narrata, fatetur

ſe aliquoties in Quadrageſima manducaſſe lac, caſeum, ova idque ob defectum piſcium, proinde Confeſſarius plurimum zeloſus iſtud eidem graviter interdixit, aſſignavitq; pro pænitentia in vindictam hujusmodi peccati jejunium in pane & aqua per aliquot dies obſervandum, eo quod in Polonia manducare in Quadrageſima lac, ova, exiſtimetur graviſſimum eſſe piaculum præſertim inter homines rudes. *Reſpondetur* Confeſſarium imprudenter feciſſe condemnando Januarium gravis peccati reum. Quia tametſi in Polonia lac, ova, prohibentur in Quadrageſima, cum plebeis tamen non multum ſcrupulizandum ut bene advertit Pikulſki Par. 2. Secti. 4. art. 2. Quia Ruſtici ob continuos graviſſimoſq; labores, item defectum piſcium, & olei olivarum, facilius hic excuſari poſſunt, cum ſola olera, quibus apud nos illi dumtaxat veſcuntur, parum ſatient appetitum. Huic reſolutioni ſuffragatur etiam Conſtitutio Benedicti XIV. quæ incipit *Libentiſſime* edita anno 1745. Die 10. Junii ubi hæc ferme habentur, *dum non ſuppetit oleum olivarum; neque piſces permitti fas eſt, ut jejunantes lacte & ovis utantur.*

CASUS LIV.

IGnatius Civis Cracovienſis Sexagenarius non exiſtimavit jam jejunandum ſibi eſſe ſaltim quo ad quantitatem, etiamſi fuerat integræ valetudinis & robuſtus, quia audivit, in Polonia, ubi frigidiſſimum eſt clima, ſexagenarios non teneri ad jejunandum, Tum etiam quia in Polonia non habetur vinum ad digeſtionem neceſſarium ſicut in aliis Regionibus ut docent quidam Auctores Poloni hujus ſententiæ Patroni. Sed *Reſpondetur* Probabilius eſſe qod etiam in Polonia in quantitate quoque jejunium obſervare tenentur etiam ſexagenarii, ſi ſint robuſti & bonæ valetudinis. Quia in Germania æque ſævit frigus, neque vinum ubiq; fortiſſimum ad digeſtionem neceſſarium ſemper habetur, & tamen probatiſſimi Theologi Germani ſuos ſexagenarios ſanos & robuſtos non eximunt a jejunio in quantitate aut qualitate, ergo & a Polonis ſexagenariis id ipſum ſervari debet. Fatendum tamen quod contraria quoque ſententia ſit tuta in praxi præſertim in Po-

lonia respectu illustrium Personarum, quæ non sunt ita firmæ complexionis.

CASUS LV.

JLdephonsus inter alia peccata, quæ ex charta in Confessionali legebat, fassus est se frequentissime feriis sextis, nec non in Vigiliis feriis quatuor temporum, & in Quadragesima pro more a multis in Polonia usitato potum ex Arabicis fabis seu kaffe cum lacte bibisse non absque remorsu Conscientiæ, eo quod quidam suus confessarius hanc praxim minime laudasset. accusavit se præterea quod diebus jejunii adhibuerit ad memoratum potum placentia idque non infrequenter, ut a multis in Polonia practicatur, *Respondetur ad 1mum* Joachimum saltim venialiter peccasse. Quia primorum Christianorum inductum est consvetudine in nostra Patria, ut diebus jejunii ex præcepto, nisi debilitas, vel impotentia aliud svadant, a lacticiniis in Polonia Fideles abstineant, adeoque neque ad dictum potum lac adhibeatur nisi sanitati noceat absque lacte potus iste, de quo

controvertitur inter peritos Medicos, nam aliqui illum magis nocere cum lacte asserunt. *Respondetur ad 2dum* Joachimum non peccasse si ad potum hunc adhibuerit placentia idque in modica quantitate, ne similiter haustus ille noceret. Secus si in magna quantitate ista sumpserit simul, vel successivè præter solitam refectionem.

CASUS LVI.

JLluminatus non ex Legitimo toro natus, petiit dispensationem 1*mo.* ut possit ad Ordines promoveri, tametsi hic defectus illius adeo fuisset occultus, ut etiam officium seu munus in suo Palatinatu ob præclaras animi virtutes obtinuisset, 2*do.* ut beneficium consequeretur, quod eidem pro navata egregie opera in defendendis causis suis Innocentius Senator promiserat. Sed cum beneficium illud non adeo pingve sibi videretur, jam dispensatus, dubitare cæpit an prætextu dispensationis pro obtinendo beneficio, possit etiam aliud consequi beneficium ab certo amico sibi procuratum. *Respondetur ad 1mum* Quam-

vis

vis defectus hic Jlluminati fuerit occultus, tenebatur is petere dispensationem, ut ad Ordines promoveretur, quod verum est etiamsi Jlluminatus ex Matrimonio licito secundum jus Civile, secundum Canones autem prohibito esset natus, ut notat ex aliis Pialecki Part. I. Cap. I. Art, 4. *Respondetur* ad 2*dum* Jlluminatum prætextu dispensationis pro obtinendo beneficio a Senatore sibi promisso, non posse obtinere aliud beneficium absque nova dispensatione. Jta decisum habetur per Constitutiones Synodales Poloniæ Regni ab Joanne XXIII. & Martino V. approbatas Lib. I. titulo de Filiis Presbyterorum pag. 68. Quod etiam constat ex c. I*mo is qui* Lib. 6.

CASUS LVII.

JNcolæ cujusdam celebris Urbis in minori Polonia posteaquam accepissent Episcopum prohibuisse frequentes Sanctissimi Sacramenti expositiones in Ecclesia Cathedrali, vix bis aut ter, idque non nisi exposito Sacramento suas devotiones decursu totius anni ibi peragere voluerunt, existimabant enim se neutiquam posse solitas

Lucrari Jndulgentias, nisi exposita Eucharistia Divina Mysteria celebrarêntur, quod etiam nonnulli Confessarii asserebant. Unde ingens murmur ;Contra Episcopum exortum est ab illis, qui moris Patrii in Polonia, ubi frequentissimæ Sanctissimæ Eucharistiæ fiunt expositiones, tenacissimi esse maluerunt. *Respondetur.* Cives seu incolas haud merito suo Episcopo indignatos fuisse nam etiam non exposito Sanctissimo Sacramento lucrari posse Jndulgentias ab visitantibus Ecclesiam, ibidemq; suas devotiones peragentibus, declaravit Benedictus XIV. in Epistola ad Episcopum Varmiensem in Polonia, data 16. Decembris anno 1746, ubi etiam permittit frequentes Expositiones Sanctissimi Sacramenti diminuere, si ita prudenter Episcopo visum fuerit, quemadmodum nonnulli Antistites etiam in Polonia diminuerunt.

CASUS LVIII.

JOachimus Rector Ecclesiæ, ob violatam immunitatem Ecclesiasticam interdicto subjectæ, dum immineret dies Commemorationis Fidelium Defunctorum, nactus

itinerantem Religiosum quæsivit ex eo, an possint non solum in Festo Sanctorum Omnium, sed etiam in crastinum alta voce Divina celebrari non obstante interdicto, quamvis enim hæc dies a jure communi non sit excepta, audivisse se tamen, quod pro Regno Poloniæ speciale habeatur privilegium, ut Divina Officia in die Commemorationis Defunctorum etiam in Ecclesiis interdictis peragi seu celebrari queant. *Respondetur*, affirmative. Quia Leo X. per Bullam toties citatam *Sacro Sanctæ Universalis Ecclesiæ* ad Sigismundi I. Poloniæ Regis supplices preces benigne annuit, *ut in locis interdicto subjectis non solum in quatuor festivitatibus a jure communi concessis sed etiam in Festo Corporis Christi, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Petri & Pauli Festivitate, ac celebritate Omnium Sanctorum nec non C mmemoratione Defunctorum Divina Officia solemniter alta voce pulsatis campanis celebrari possint illis tamen exclusis, qui causam dederant interdicto.* Jta Pontifex-

CASUS LIX.

JOsephus Parochus cum intellexisset a quibusdam Latronibus deprædatum esse suum prædiolum, Rusticosque nonnullos, qui se opposuerant, occisos, Latrones illos paulo post captos accusavit per Procuratorem coram Judicibus, existimans id esse licitum in Polonia juxta morem in hoc Regno practicatum. Quæritur an dictis malefactoribus seu latronibus capitali affectis supplicio Josephus incurrerit irregularitatem. *Respondetur*: negative. Quia Gregorius XIII. Anno 1570. concessit ut in Polonia Clerici per Procuratorem possent tales causas criminales promovere absque periculo irregularitatis, ut adnotavit P. Tylkowski in suo Libro duodecem cleri Examina pag. 468. Num: 1188.

CASUS LX.

IRenæus Canonicus Posnaniensis & Judex Deputatus ad Tribunal Regni Poloniæ, dum Petricoviæ causa cujusdam homicidæ discuteretur, ob paucitatem Judicum

Laicorum, coactus fuit sententiam mortis in dictum homicidam Latam subscribere, & cum esset tenerrimæ conscientiæ, cæpit postea dubitare an non contraxerit inde irregularitatem. *Respondetur* Jrenæum irregularitatem minime incurisse. Quia Clemens VIII. Rescripto suo anno 1603. Die 9. Augusti ad Ecclesiasticos Poloniæ dato. Eisdem Ecclesiasticis indulsit, ut absque irregularitatis incursu sententias mortis subscribere possint, si ad id ex officio teneantur.

CASUS LXI.

JSidorus Præposituram adeptus Ecclesiæ in quadam Urbe Poloniæ Christianis & Judæis referta omnibus ovibus suis præcepit non sine comminatione Divini judicii, atque sub pænis a se infligendis *1mo.* Ne accederent ad nuptias Judæorum & cum eis manducare vel bibere idque sub excommunicatione præsumerent, item saltare tripudiare cum iisdem auderent *2do.* ut nullus Christianorum famularetur Judæis, nullaque mulier Christiana ablactaret fætus eorum, aut è contra, neque pueri Christia-

ni aut ſeniores in die commemorationis Judicii Eorum in Synagoga iiſdem inſervirent. Judæis vero interdixit Chriſtianorum domos emere. Si quas autem emerant, ut eas revenderent Chriſtianis. Poſteaque Judæis Synagogam ſuam reſtaurare volentibus adhibita ſæcularium manu fortiſſime reſtitit, & pro obtinenda facultate ad Epiſcopum remiſit. 3*tio.* Demum Chriſtianam mulierem in fornicatione cum Judæo deprehenſam per Civitatem fuſtigatam ex Urbe expulit, Judæum vero carceri mancipavit, donec eidem haud exiguam ſummam pecuniariam in vim pænæ pro tanto ſcelere exſolviſſet. *Reſpondetur.* Jſidorum ſapienter omnia egiſſe. Jta enim prœſcribunt Conſtitutiones Synodales Poloniæ Libro 4. titulo de Judæis. Jtem Synodus Petricovienſis anno 1542. celebrata, ut videri poteſt eodem Libro Conſtitutionum pag 267. & pagina 268.

CASUS LXII.

JUliana mulier Ruſticana in pago ad Urbem Vilnenſem ſito operam dare magiis & incantationibus deprehenſa a Judice ſæcu-

lari, ab eodem citata eſt ad ſuum Tribunal, cum è contra Parochus loci ad judicium Eccleſiaſticum eamdem pertraxerit. Hanc ob cauſam exorta inter Judicem Eccleſiaſticum & ſæcularem contentione, Juliana feliciſſime evaſit. *Reſpondetur* cauſa Julianæ ſpectabat omnino ad judicium Eccleſiaſticum in Polonia. Jta deciſum eſt per Conſtitutiones Provinciales Poloniæ Regni anno 1543. teſte Patre Tylkowſki Libro ſupra citato pag. 468. num. 1193.

CASUS LXIII.

JUniperus primariæ nobilitatis & auctoritatis vir infenſus Vicario Generali Epiſcopi nuncium a Conſiſtorio Miſſum cum literis citationis ad judicium Spirituale non ſolum verbis probroſis, ſed etiam verberibus affecit, atque literas citationis Vulcano tradidit. Ea propter Junipero in aliud crimen, quod ſpectabat ad judicium Eccleſiaſticum, prolapſo, Vicarius Generalis Eundem per publicum edictum in illius Parochia citari juſſit frementibus Juniperi amicis. *Reſpondetur* ad 1*mum.* Juniperum tanquam libertatis Eccleſiaſticæ contumelio-

ſum hoſtem ipſo facto in Excommunicationem incidiſſe, ut habetur in Conſtitutionibus Synodalibus Provincialibus titulo de Judiciis pag. 110. *Reſpondetur* ad 2*dum* Vicarium Generalem bene feciſſe, ſic enim præcipit Synodus Petricovienſis habita anno 1542. Verba Synodi ſunt. *Decrevit hæc Sancta Synodus, ut conſtito de non tuto ac difficili acceſſu ad citandum aliquos nobiles, tales per publicum edictum die Dominico aut Feſto in eorum Parochiis citentur, & huiuſmodi proceſſus contra illos exequantur.*

CASUS LXIV.

JUvenalis Beneficiatus iratus ſuo Patrono, eumdem quandoq; levibus ex cauſis citabat ad judicium Eccleſiaſticum, rixando cum illo ſuper limitibus agrorum, colonis fugitivis &c. unde factum eſt ut Epiſcopus citationes Juvenalis contra præpotentem Patronum ab Officio Ordinario extradi prohibuerit, Lites omnes Juvenali interdixerit, ne odia in immenſum ex creſcerent. *Reſpondetur* ad 1*mum* Juvenalem non licite egiſſe, levibus de cauſis Patro-

num provocando ad Judicium, præſertim quod cauſæ ejuſmodi ad forum Eccleſiaſticum haud referri debent. Quia id prohibet Synodus Provincialis celebrata anno 1621. & a Gregorio XV. per Bullam *Militantis Eccleſiæ regimini* approbata, titulo de Juriſdictione Spirituali c. 2. ubi habetur, *monet S. Synodus Clericos, ne Levi ex cauſa ad invidiam Ordinis Eccleſiaſtici in Judiciis negotium faceſſant ſæcularibus.* Præterea tales cauſæ ſuper limitibus, Colonis fugitivis, capite occiſi, & vulneribus, ſeu alio nomine injuriæ juxta Statutum Joannis Alberti & Alexandri Regum Poloniæ, in judiciis terreſtribus aut Tribunalitiis diſcutiendæ ſunt, unde Synodus Petricovienſis anni 1542. ſub gravi pæna Eccleſiaſticis prohibuit eaſdem deducere ad Judicium Spirituale Eccleſiæ. *Reſpondetur.* ad 2*dum.* Si Juvenalis in aliis circumſtantiis cauſisq; Spiritualibus juſte Patronum ſuum tametſi potentiſſimum adcitaverat ad forum Eccleſiaſticum, debuiſſet Epiſcopus citationem admittere, ut memorata Synodus Provincialis anni 1621. eodem Capite & titulo inſinuat.

CASUS LXV.

JUventius Clericus utriusque juris peritus, sed temerarius, quasdam causas ad ultimum gradum jam deductas, atque supremam sententiam expectantes ob suam perversitatem intercipere assolebat, productisq; literis in fraudem confectis, litem propè finitam inchoare compellebat litigantes; ut nobiles Laici in Polonia facere consveverunt. Quod cum perlatum esset ad Episcopum, is Juventium convictum, ex consilio Theologi sui carcere mancipari præcepit, posteaque dimissum ex sua Diæcesi proscripsit. *Respondetur* Episcopum justissimè ita Juventium punivisse; hanc enim pænam in taliter delinquentes statuit Synodus Provincialis Gnesnensis Varsaviæ celebrata anno 1643. ut legitur in Constitutionibus ejusdem Synodi titulo de *interceptionibus causarum.*

CASUS LXVI.

MAcaria Senatoris Regni Poloniæ Filia nupsit Macedonio paris nobilitatis vi-

ro, ex quo cum nullam prolem ſuſcepiſſet, obtendens perpetuam impotentiam viri, perſvaſit eidem, ut ab Judice Eccleſiaſtico cauſa eorum cognoſceretur, a quo ſi lata fuerit ſententia ſuper matrimonii invaliditate, nemini liceret ab eadem ſententia apellare ſub mulcta ingentis ſummæ pecuniariæ alteri parti ſolvendæ. Jta a quibusdam factum fuiſſe in Polonia refert Benedictus XIV. Epiſtola XI. data ad Epiſcopos ejuſdem Regni anno 1743. Die XVIII. Mai atque praxim hujuſmodi ſeu prædicta pacta ſub pæna excommunicationis Sedis Apoſtolicæ reſervatæ interdicit, nec non apellationes in cauſis Matrimonialibus innovat & confirmat.

CASUS LXVII.

MAnſvetus Epiſcopus in Litvania duobus Luteranis ſponſis in ſecundo affinitatis gradu inter ſe conjunctis, contrahendi matrimonii facultatem dedit. Rogatus quo jure hoc feciſſet, an ut Executor alicujus diſpenſationis a Sede Apoſtolica conceſſæ? *Reſpondit* ſe feciſſe ea generali poteſta-

te, quam ſibi ut Epiſcopo in remotis degenti Sedes Apoſtolica dedit, excuſavitque factum ſuum quorumdam Prædeceſſorum ſuorum conſvetudine, uti etiam quod iſti ſponſi Luterani ſpem dediſſent hæreſim abjurandi, ac fidem Catholicam profitendi. Hunc caſum refert citatus Pontifex Epiſtola quæ eſt XVIII. data ad Primatem & Epiſcopos Poloniæ VIII. Auguſti 1748, ibidemq; tam diſpenſationem, quam matrimonium dictarum Perſonarum irrita declarat.

CASUS LXVIII.

MArcellus Parochus totus negotiis cauſarum in judiciis Caſtrenſibus & Terreſtribus abſorptus, nuſquam per ſe ipſum matrimoniis ſponſorum præſertim ignobilium intereſſe voluit, ſed alios nunc hunc nunc illum, cum Vicarium non haberet, conducere aſſolebat ex Urbe viciniore, ut Divinis celebratis, præmiſſis denunciationibus matrimoniis aſſiſteret. Dumque eam ob cauſam argueretur a ſuis Collegis, repoſuit, ſe ab Epiſcopo ad id obtinuiſſe

facultatem, ut quicunque è Sacerdotibus ejusdem Diœcesis functionem hanc obiret, cum ipse semper variis occupationibus distentus esset, & vix infirmis satisfaceret. *Respondetur* ad 1*mum*. merito objurgatum fuisse Marcellum nam Benedictus XIV. citata Epistola XI. ad Episcopos Poloniæ Regni, consvetudinem hanc Parochorum aliquorum in his partibus improbat & execratur, præcipitque ut denunciationib9, imo & examine de habilitate Personarum ad contrahendum matrimonium, a Parocho præmissis, ipsemet assistat contrahentibus, nisi gravissima causa fuerit impeditus, quæ in Marcello non semper adesse censetur, cum infirmis assistere queat. Porro *qui potest plus, potest & minus, juxta tritum axioma. Respondetur* ad 2*dum* Episcopum haud potuisse permittere, & impertiri facultatem, ut alii Sacerdotes assistant celebrandis matrimoniis pro Marcello, id enim a memorato Pontifice eadem Epistola §. XII. prohibetur, *nisi ob ineluctabilem necessitatem, ut alius Sacerdos intersit, ita exigere animadverterint*, quedamodum ibidem loquitur Pontifex, qui damnat Pastorum in Polonia

praxim circa denuntiationes, si has ex levi causa dispensent, atque negligentiam detestabilem in omissione assistentiæ Parochorum per se ipsos, dum matrimonia contrahuntur, ex quo maxima scandala in Polonia promanarunt.

CASUS LXIX.

MArcianna nobilis Sectæ Calvinianæ post enormia peccata adhæsit cuidam prædiviti Judæo, contractoq; cum eodem, qui se fixerant Christianum, matrimonio in majore Polonia, ubi hic casus factus est, fugit Gedanum una cum illo, ibique securè delituit, frustra revocantibûs eam Fratribus Heterodoxïs. Post annos tamen complures Marcianna cum Marito Judæo reversa in Poloniam, simul cum eodem Catholicam fidem suscepit. Quæsitum proinde erat, quid sentiendum de tali matrimonio mulieris Heterodoxæ cum Judæo. *Respondetur* hoc matrimonium renovandum esse coram parocho & testibus, si in illo conversæ Personæ persistere voluerint. Jta Benedictus XIV. in Rescripto particulari anno 1749. emanato. Quia contractum in lo-

co, ubi Tridentinum est receptum, erat nullum ob impedimentum dirimens, quod vocatur *disparitas cultus*, tametsi Marciana Catholica tunc non fuerit.

CASUS LXX.

MArcus Civis limitaneæ Urbis in Podolia postquam sex circiter annis cohabitasset uxori suæ, sub tempus belli Moschovitici cum Turcis, irrumpentibûs Tartaris in Podoliam, eam amisit ab iisdem Tartaris raptam. Porro elapso triennio cum per famam publicam dedicisset priorem uxorem a Scythis fuisseo ccisam, aliam duxit. *Respondetur* certo illicitè absque recursu ad Episcopum vel ejus Vicarium: nam de hoc singularis provisio facta est Regno Poloniæ a Leone X. per Bullam quæ incipit Sacrosanctæ universalis Ecclesiæ anno 1515. Nimirum *ut Episcopi vel eorum Vicarii consti- to eis per famam publicam, aut Legitimas conjecturas, quod capti ab infidelibus sint mortui, licentiam cum aliis contrahendi intra terminum arbitrio ipsorum Ordinariorum statuendum, dare, & in casu ejusmodi prolem*

inde susceptam legitimam decernere absque præjudicio tamen quandoque redeuntis conjugis. Hæc prædictus Pontifex.

CASUS LXXI.

MAthæus Nobilissimi æque ac ditissimi viri in Regno nostro Filius, ut tandem liti, quam suus Pater cum Martiali præpotente opolentoq; vicino Multîs annîs de limitibus agrorum nemorumq; habuerat, finem imponeret, statuit ex consilio amicorum Filiam Martialis unicam in uxorem protinus ducere, ne illa sibi ab alio præriperetur, qui eidem inhiabat. Verum cum Mathæus præscriptam ad matrimonium ætatem necdum complesset, & res moram haud pateretur, supplicavit per suum Capellanum Episcopo, ut cognita veritate ex medicis pronunciaret malitiam supplere ætatem in Mathæo, cum id sibi certissimè constet, medicis etiam id ipsum affirmantibus, & ita capacem ad ineundum matrimonium declararet. Sed addubitante Episcopo, an suæ esset potestatis post terribilia Decreta Benedicti Pontificis contra Polo-

norum

norum matrimonia toties lata, in hac illico decidere circumſtantia, moraſque trahente, alius Filia Martialis potitus eſt. *Reſpondetur*. Potuiſſe Epiſcopum pronunciare jure ſuo abſque recurſu ad Sedem Apoſtolicam in Mathæo malitiam ſupplere ætatem, ſi revera ita fuit, taleſque Perſonas conjungere ante præſcriptam neceſſariam ætatem ad matrimonium, quemadmodum declaravit Benedictus Quartus decimus in Epiſtola Encyclica ad Poloniæ Epiſcopos data 1748 quæ incipit. *Magnæ nobis*.

CASUS LXXII.

MAthan Hæbreus expulſis ex Urbe Cameneceſi Judæis ſeceſſit in villam proximam Civitati, ibique non multo poſt convictus rationum momentis a quodam viro Religioſo, Chriſtianam Religionem ſuſcepto baptiſmate amplexus eſt. Admonita autem conjuge ſua Judæa, ut illa exemplum ejus ſequeretur, cum interpellatione ne quidquam proficeret, ad ferventiſſimas illius preces coram teſtibus Chriſtianis memoratæ Judeæ librum repudii dedit, & mulierem Chriſtianam matrimonio ſibi

copulavit. Judæa quoque obtento libello repudii maritum Judæum facile invenit. *Respondetur: ad 1mum.* Neophitum istum inique fecisse dando libellum repudii conjugi suæ Judeæ: Sic enim declaravit Constitutione sua Benedictus XIV. edita 16. Septembris anno 1747. qua severe prohibet ne Judæi conversi ad fidem hujusmodi libellum concedere audeant uxoribus suis tam ritu Judaico, nempe in domo Judæorum, quam etiam coram testibus Christianis, atque non solum concedentes librum repudii, sed etiam testes Christianos, & notarium graviter punire præcipit. *Respondetur ad 2dum.* Conversum præmissa interpellatione prioris conjugis ut ad fidem profitendam eamdem attraheret, illa renuente, potuisse mulierem Christianam ducere in uxorem, alias non interpellando priorem conjugem contrahere cum secunda tametsi Christiana nequivisset, quemadmodum idem Pontifex citata Bulla declaravit.

CASUS LXXIII.

MAuritius Sacerdos profectus in Ukrainiam post luctuosam illam calamitatem a Rebellibus Provinciæ Ukrainenli deletis etiam compluribus Sacerdotibus illatam magnum ibi operiariorum in vinea Christi reperit defectum, proinde quovis festo duas Missas eodem die in duabus dissitis Ecclesiis celebravit. Porro monitus a quodam Missionario ne idem frequentius faceret absque speciali indulto, cum in ejusmodi materia nonnulli Theologi rigidius loquantur; respondit sibi magis cordi esse devotionem populi, quam istorum Theologorum sententias, parumque se eas curare. Nam illi de suis plerumq; Regionibus plenis Sacerdotibus loquuntur. *Respondetur* Potuisse tuto ibi Mauritium frequentius imo quovis die festo de præcepto duas Missas celebrare absque speciali cujuspiam facultate. Quia Leo X. pro Regno Poloniæ Rescripto suo edito anno 1515, Die IX. Augusti specialiter indulsit, ut in locis in quibus laboratur penuria Sacerdotum possit unus Sacerdos eadem die in duabus Eccle-

ſiis celebrare, dummodo non ſumat purificationem niſi in ultima Miſſa, ut videre eſt apud Paulum Piaſecki Part. 2. cap. 3. Art. 3.

CASUS LXXIV.

MAurus Latinus Sacerdos iter agens per Ruſſiam Polonicam, cum ad Templum ritus Latini die Dominica divertere facile nequiviſſet, in Eccleſia Græca ſuper antimenſiis Græcorum adhibito calice ſtanneo in defectu argentei, necnon in veſtibus ſacris Ruthenorum celebravit. Quod etiam fecit aliquando in Capella Latina. Quæritur an licite? *Reſpondetur ad 1mum* affirmative. Quia Benedictus XIV. anno 1751 Die 29. Martii conceſſit non ſolum Miſſionariis, ſed etiam aliis Sacerdotibus Latinis in Polonia, etiam dumtaxat cauſa devotionis ita celebrare in Eccleſiis Græcorum Ruſſiæ Polonicæ. *Reſpondetur. ad 2dum* negativè id enim prohibitum eſt a memorato Pontifice eodem Decreto quod incipit *Impoſito nobis*,

CASUS LXXV.

MAximinus Regularis & Procurator cujusdam in Masovia Prædii sui Conventus, celebravit ibidem aliquoties in privato Oratorio, quod paraverat & adornaverat eum in finem; quæsitus ab amico qua conscientia absque Ordinarii facultate id faceret, respondit suum Ordinem communicare in privilegiis cum ordine Prædicatorum cujus Provincialibus in Regno Poloniæ indulsit Gregorius XIII. anno 1580. quatenus suis subditis in Polonia concedere possint in locis privatis ad id deputatis celebrare, atque habere se a Provinciali facultatem uti dicto privilegio si ita suæ visum fuerit conscientiæ. *Respondetur.* Id a Maximino absque peccato fieri non potuisse quidquid sentiant nonnuli ex Theologis Polonis. Quia omnes melioris eruditionis Casuistæ qui scripserunt post memoratum privilegium Gregorii XIII. istud tanquam illicitum, quippe interdictum a posterioribus Pontificibus rejiciunt. Certe Clemens XI. sustulit privilegia Regularium celebrandi in locis privatis absque licentia Ordinariorum,

quod & alii Pontifices post ipsum fecêre. Item Sacra Congregatio 1. Martii. 1687.

CASUS LXXVI.

MEletius Presbyter Illustris Dynastæ in Polonia Capellanus, cum inaudisset prohibitum esse a Benedicto XIV. per Epistolam Pastoralem cujus initium *cum magno animi dolore* datam ad Primatem & Episcopos Regni nostri anno 1751. administrare Sacramenta baptismi & pænitentiæ in privatis Oratoriis, proinde Dynastam illum tametsi seniculum & infirmum inducit, ut Sacramentum pænitentiæ & Eucharistiæ potius in Ecclesia Ruthenorum Palatio proxima, secundum ritum Latinum suscipiat, quod is non absque magno incommodo exequitur. Dum autem graviori infirmitate Dynasta detineretur, rogavit Meletium, ut in Oratorio privato tres Missas in die Natalis Christi celebraret, quod & fecit Capellanus, quamvis indulto suo Episcopus unam tantum in Capella Missam celebrandam permisisset. Demum Meletius celebravit semel in dicto Oratorio, etsi nulla adfuerit persona ex iis, quibus concef-

ſum erat privilegium Oratorii. *Reſpondetur* ad 1*mum* Potuiſſe Meletium adminiſtrare Dynaſtæ Sacramenta pænitentiæ & Euchariſtiæ in privato *Oratorio* Nam hoc dumtaxat prohibetur a Pontifice extra caſum neceſſitatis. *Reſpondetur*: ad 2*dum* licitè feciſſe Meletium. Jd enim conceſſit Pontifex in citata Epiſtola ad Epiſcopos Poloniæ in gratiam Perſonæ Valetudinariæ. *Reſpondetur*: ad 3*tium*. Non bene egiſſe Capellanum. Quia Pontifex in dicta Epiſtola expreſſe jubet, ut in privato Oratorio una ſaltim adſit Perſona ex illis, quibus conceſſum eſt privilegium Oratorii ad celebrandum licite in privato Oratorio.

CASUS LXXVII.

MErcurius Parochus cujuſdam Eccleſiæ in finibus Litvaniæ ſitæ, etiam ab Hæterodoxis Pruthenis vicinis ſuæ Parochiæ accipit ſtipendia pro miſſarum Sacrificiis celebrandis, quandoque in honorem Sancti Antonii, ut amiſſæ res recuperentur ab illis Diſſidentibus, quandoq; etiam in honorem Sancti Jſidori, ut ager Pruthenicus uberius progerminet frumentum. Quæri-

tur utrum Mercurius id absq; peccato deinceps exequi queat. *Respondetur*: affirmative. Quia in Polonia, quemadmodum etiam in Germania idem practicatur sine ullo scrupulo, cum in istis partibus Hæterodoxi tolerentur. Et quamvis hi sint Excommunicati (supponitur tolerati:) fas tamen est cum excommunicatis ejusmodi communicare in Divinis ex Declaratione Concilii Constantiensis. Jta Poloni & Germani Theologi.

CASUS LXXVIII

MEtellus Prælatus Ecclesiæ Cathedralis Luceoriensis ultra decem leucas distans ab Episcopo omnes res ad Divinum cultum & altaris Ministerium destinatas, in quibus unctio Chrismatis non adhibetur benedixit Sciscitatus, an speciale privilegium ipse ejusmodi res semper benedicendi, obtenuerit, consvetudinem in nostris partibus aliorumq; allegavit. *Respondetur* Potuisse Metellum dictas res Sacras benedicere Quia Sacra Rituum Congregatio anno Domini 1662. Archi-Episcopo Gnesnensi &

omnibus Regni Poloniæ Episcôpis indulsit, ut benedictionem Sacrarum rerum, in quibus non intercedit, Unctio Chrismatis comittere possint, Sacerdotibus in dignitate constitutis, ultra decem milliaria ab se distantibus, quam Episcopi nostri Prælatis semper committere solent.

CASUS LXXIX.

MIchael Theologus a suo collega Modesto quæsitus erat cur Missa *Rorate* quotidie in Adventu celebretur in Polonia etiam in classicis Festis, cum ad supplices totius Regni Preces anno 1742, ut in Adventu singulis diebus celebretur ejusmodi Missa *Rorate* non obstantibus Festivitatibus primæ vel secundæ classis, Sacra Congregatio 1. Decembris ejusdem anni, dum ille nempe Modestus tunc Romæ fuisset, id denegaverit. *Respondetur.* Tametsi Sacra Congregatio id prohibuerit eodem anno 1742, & respondεrit negativè postea tamen anno 1752. 29. Januarii concessit ob concursum populi talem Missam celebrare quotidie in Adventu non obstantib9

classicis Festivitatibus, dummodo hujusmodi Missa non celebretur pro re gravi, vel publica necessitate, sed ob meram populi devotionem, quod antea indultum erat ab eadem Sacra Congregatione XX. Novembris anno 1662, & postea anno 1752. ut dictum. Hanc Missam decantandam commendat etiam Synodus Provincialis Petricoviensis celebrata anno 1628 ut colligitur ex Epistola Cardinalis Macieiovii ab Urbano VIII. cum dicta Synodo approbata per Bullam *Militantis Ecclesiæ regimini*, ubi tamen additur. *Missa Rorate quam vocant decantari solita in hac Provincia, seu in Polonia, per totum Adventum, nunquam ante auroram cantetur, legaturvé.*

CASUS LXXX.

MOyses Sacerdos noviter ordinatus, ut lauto convivio consangvineos suos aliosque Hospites exciperet, ad primam Missam eleemosinam colligebat. Qua abunde provisus per tres dies cum dictis consangvineis & benefactoribus occupabatur. *Respondetur*, utrumq; illicite fecit. Jd enim

prohibitum eſt per Conſtitutiones Provinciales Poloniæ latas in duabus Synodis Lancicii celebratis, his verbis. *Perpetuo prohibemus edicto, ne Clerici noviter ordinati ad primas Miſſas mendicent per ſe vel alios, cum Cleri ſcandalo, levitate, & dedecore &c. & non plus quam una die in Conviviis Primitiarum ſe occupent. Contra facientibus pœna arbitraria eſt omnino imponenda* ut habetur Libro 3. titulo *plures Miſſas* pag. 227.

CASUS LXXXI.

MUtinus Confeſſarius ~~dum~~ animadverteret complures Sacerdotes egere, & ſtipendia pro miſſis obtinere non poſſe, nobilioribus pœnitentibus, peccatis gravioribus obſtrictis injungebat in ſatisfactionem celebrationes Miſſarum, nimirum ut pauperibus presbiteris ſtipendia largirentur, exiſtimabat enim id non ſolum eſſe licitum ſed etiam meritorium, opera miſericordiæ injungere. Quod dum aliis Mutinus Conſodalibus denarraſſet, iſti factum improbavêre. *Reſpondetur*, Merito hoc Mutini fa-

ctum improbaviſſe alios Conſodales, quemadmodum liquet ex Decretis Synodalibus Regni Libr. 4. titulo de pænitentiis & remiſſionibus pag. 337. ubi dicitur: *Sacerdotes paſſim & diſtricte Miſſarum celebrationes non injungant Confitentibus, ſed cupiditatis notam fugientes in hac parte, fructus, qui ex tali injunctione poſsent Sacerdotibus provenire, injungant pauperibus erogare.*

CASUS LXXXII.

PAchomius cujuſdam Eccleſiæ Patronus dederat mutuo Patritio illius Eccleſiæ Rectori quinquaginta aureos abſque ullo chyrographo confiſus Rectoris conſcientiæ, quo præter ſpem ſubitanea morte exstincto, commotus vehementer Pachomius miſit ſervum ſuum ut quaſdam res pretioſiores, cum plura ſibi deberi a Defuncto Pachomius arbitraretur, ex domo Parochi tolleret. Quod & factum eſt. Deinde Paſchaſio Vicario Defuncti noluit literas præſentationis ut vocant ad idem beneficium conferre, donec is promiſiſſet, ſi in aliqua re obtento beneficio Pachomio diſpliceret,

mox literis præſentationis reſtitutis benefi-
cium eſſet dimiſſurus. Hunc caſum non in frequentem eſſe in Polonia innuunt Conſtitutiones noſtræ Provinciales *de Jure Patronatus.* Ad quem *Reſpondetur 1mo.* Pachomium Patronum incurriſſe Excommunicationem ut notatur Libro 4. titulo de Raptoribus pag. 303. Præterea idem ſevere prohibetur Libro 5. cap. 23. Conſtitutionum Synodalium quas Gregorius XIII. anno 1577. approbavit. Demum in pleriſque Regni Poloniæ Diæceſibus hic caſus eſt reſervatus. *Reſponditur 2do* Pachomium Patronum eo ipſo jus præſentationis amiſiſſe pro hac vice, Paſchaſium vero inhabilitatem ad quodvis beneficium contraxiſſe, ut præſcribunt Coſtitutiones Synodales Libro 3. de Jure Patronatus pag. 221.

CAUS LXXXIII.

PLacidus Sacerdos Cuſtos Eccleſiæ Parochialis advenientes aliunde pauperes propellebat ab Eccleſia, & ni abirent verbera illis comminatus eſt, imo ſvadebat Fidelibus, ne iiſdem vagis pauperibus, ſed ſuis

dumtaxat eleemosinas largirentur. Tametsi vero in gratiam suorum pauperum demandatam sibi Xenodochii curam suscepisset, mox tamen onus deposuit, quod Episcopus per suos Commissarios rationem proventuum omnium exigere a Placido voluisset. *Respondetur ad 1mum.* Placidum recte egisse, ita enim statuit Synodus Provincialis Petricoviensis anni 1607. a Paulo V. confirmata titulo de juvandis pauperibus inquiens *unaquaeque Parochia suos pauperes alat. vages autem & validos mendicantes arceat, neque veris pauperibus eos praeripere eleemosinam patiatur. Respondetur ad 2dum* Placidum immerito ex dicta causa administrationem Xenodochii pauperum deposuisse. Quia Episcopo incumbit ex munere ab Administratoribus hujusmodi rationem omnium proventuum exigere, ut memorata Synodus praescribit eodem titulo.

CASUS LXXXIV

RAymundus praedivitis caenobii in Polonia Praefectus collectis hinc inde non-

nullis capitalibus ſummis obtulit Remigio nobili ducenta millia Florenorum ut iis ſuo nomine emeret certas villas cænobio proximas, haſq; poſtea cederet ſuo Conventui, ne alii emptionem villarum adverterent, & Raymundum ad judicium deferrent. quod & factum eſt. Sed poſtea re deprehenſa quæſitum fuit, quas pænas propterea Raymundus incurrerit ex Decreto Urbani VIII. ſeveriſſime prohibentis Regularibus emere Bona ſtabilia in Regno Poloniæ ſupplicante Rege Vladislao IV. & tota Republica Sedi Apoſtolicæ. *Reſpondetur.* Juxta Decretum Urbani VIII. latum anno 1634. 27. Novembris Raymundus ipſo facto incurrit ſuſpenſionem a Divinis, pænam privationis ſui Officii, vociſque activæ & paſſivæ, inhabilitatis perpetuæ ad munia in poſterum obtinenda ſi id fecerit abſque facultate Præfecti Generalis ſui Ordinis, qui tamen dare licentiam coemendi bona non poteſt, niſi prius aſſenſum a ſummo Pontifice, vel Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum obtinuerit.

CASUS LXXXV.

RIchardus Regularis ex mandato Superioris sui proficiscebatur sæpius ad desolatam quamdam ab Rebellibus in Ukrainia Ecclesiam Parochialem cum Sacris vestimentis, ubique rogatus a Fidelibus Missæ Sacrificium celebrabat, Sacramenta administrabat, non solum illius Parochiæ hominibus sed etiam Vicinioris, frequentius, tempore Paschali, propterea que gravem offensam incurrit Vicarii Generalis. *Respondetur* Richardum Regularem non potuisse ibidem absque facultate Episcopi Sacramenta administrare ut decisum a Synodo Provinciali Petricoviana celebrata anno 1634. & à S. R. C. eodem anno approbata his verbis. *Statuit Synodus ut Ecclesiæ a quibusvis profanatæ quæ sufficientem provisionem pro sustentatione non habent, Parochi, aliis Ecclesiis uniantur, juxta præscriptum Concilii Tridentini sessione 21. cap. 5. & populus cum dote Ecclesiæ viciniori Parocho tantisper adjungatur, quo ad recuparatæ & universali Ecclesiæ non fuerint restitutæ cæterum sciant Regulares*

ipsis

ipsis non licere sine licentia Episcopi in Ecclesiis desolatis Sacramenta administrare præcipue tempore Paschali &c.

CASUS LXXXVI.

ROchus Canonicus Parochiale beneficium consecutus reperit ibi Regularem cujusdam Ordinis Vicarii munus obeuntem, quem mox ad Cœnobium remisit, nec unquam tametsi peteretur a Parochianis iterum eumdem aut alium ex Regularibus ad id Officium assumere voluit. Rogatus caussam reposuit illud esse interdictum per leges Ecclesiasticas pro Regno Poloniæ latas. *Respondetur* revera esse prohibitum a Synodo Provinciali Petricoviensi anni 1628. titulo de Vicariis Parochorum, ubi habetur: *Præcipit Synodus ne Regulares Vicariorum Officium exerceant in Parochialibus Ecclesiis.* Id ipsum patet in antiquioribus Constitutionibus Synodalibus nostri Regni Libro 3. titulo de statu Monachorum, nisi defectus Sacerdotum Sæcularium aliud svaderet. Quinimo ibidem dicitur, *quod nullus Regularis cujuscunq; ordinis ultra octo dies deservire valeat in Parochialibus Ecclesiis Sæcularium absque expressa Ordinarii faculta-*

te, & qui eundem tenuerit sine dicta licentia, ab Ordinum executione ipso facto sit suspensus.

CASUS LXXXVII.

ROgatus Prælatus cujusdam Ecclesiæ in Litvania probavit & laudavit consvetudinem in eodem loco vigentem, ubi Sacerdotibus in Ecclesia Parochiali Religiosi quandoq; ministrabant, & vicissim Clerici Sæculares Regulari Sacerdoti in Ecclesia Regularium. Sed Visitator id prohibuit asserens praxim hanc adversari legibus Ecclesiæ. *Respondetur* id esse vetitum a Synodo Provinciali Varsaviæ celebrata anno 1643. titulo *ne Clerici Sæculares ministrent Regularibus* &c. idque sub pæna suspensionis ab exercitio Ordinum ipso facto incurrenda ab iis qui sine facultate Episcopi taliter ministraverint. Cujus Synodi Constitutiones sunt aprobatæ a SRC. anno 1645.

XIII.

CASUS LXXXVIII.

ROmualdo Regulari, ad Aulam Capellano nimium venationi cum canibus & avibus dedito Parochus loci comminatus erat se ista eidem ablaturum, nisi venationibus modum finemq; imponeret. Respondit Romualdus habere se Superiores, & Parochum sibi ipsi invigilare debere, ne frequentando convivia Nuptialia ac Funeralia, gregi suo sit offendiculo. Paulo post Romualdo venatum pergenti Parochus canes & aves rapuit, & restituere noluit puro ex zelo. *Respondetur* Parochum bene fecisse. Sic enim disponunt Constitutiones Provinciales Synodales Patriæ Lib. 3. titulo de Statu Monachorum pag. 208. *Si quis Regularium inventus fuerit cum canibus & avibus venatoriis, hæc cuicuique occupanti conceduntur a nobis* inquit Synodus loco citato. Cæterum tamen Parochis non licere conviviis Nuptialibus vel Funeralibus interesse, ubi periculum aut saltim suspicio ebrietatis adest, ne ovibus præbeatur occasio scandali aut murmurationis, ut notat

P. Tylkowſki ex Synodo Luceorienſi & Breſtenſi pagina 474. nro 1209.

CASUS LXXXIX.

ROmulus Cuſtos Eccleſiæ, in qua complures Sanctorum reliquiæ venerabantur, oſculari aut tangere reliquias etiam Fundatoribus illius Templi, quibus hoc alii in Polonia aliquando concedunt, nunquam permiſit, ſed ſolum vaſa illarum. Porro in Feſtis Solemnioribus etiam reliquias incertas expoſuit, ut cum certis venerentur, ſecutus quorumdam Theologorum ſententiam; denique cuidam Patrono dedit aliquas particulas reliquiarum. *Reſpondetur* Romulum in primo caſu bene egiſſe, in ſecundo & tertio. Non licite ut decifum eſt a Synodo Provinciali Petricovienſi anno 1628. celebrata. Imo ſi notabiles dedit reliquias frangendo eaſdem graviſſimè peccavit, & incurrit excommunicationem inquit citatus Tilkowſki pag. 467. numero 1186. idque ex declaratione Synodi Poſnanienſis anni 1642.

CASUS XC.

ROsinus Senator Reipublicæ Polonæ adinventis quibusdam fundamentis & rationibus quanquam non momentosis, Rufini nobilis prædium cum armis & cosacis invasit, ut mos est in nostra Patria, donec ad Tribunal Regni delata esset causa, postea vero egit per Judices Deputatos Tribunalis, ut sub specie amicæ compositionis Rufinus omnia damna & injuriam tametsi invitus propter Judicum auctoritatem Rosino condonaret. Ad hunc casum frequentissimum in Polonia. *Respondetur.* Rosinum inique egisse invadendo prædium Rufini absque gravissimis rationibus & fundamentis, proinde non solum teneri ad restitutionem prædii, quamvis ob amicitiam & favorem Judicum sententiam pro parte sua obtinuisset, verum etiam tenetur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum ex prædio minime illi suffragante amica compositione quemadmodum omnes Theologi Poloni fatentur in suis commentariolis, qui de hac re scripsêre.

CASUS XCI.

RUſtici & Latrones in Provincia Ukrainenſi quodam tempore plus ſolito debachati nobiles complures ſuis in villis degentes non ſolum peculio, ſupellectili pretioſa, ſed etiam vita ſpoliarunt. Quæſitum proinde fuit 1*mo*. An licitum ſit tales Graſſatores occidere privata auctoritate? 2*do*. Utrum milites ex Caſtris Regni capientes hujuſmodi Prædones licite poſſint uſurpare, eorum ſpolia. 3*tio*. An nobiles degentes ad ripam Boryſtenis non peccent, qui egredientes tales graſſatores de finibus ſuis non ejiciunt & coercent, ſed eis parcunt, ut poſtea res ab iiſdem oblatas recipiant ſibique approprient. *Reſpondetur* cum Patre Pikulſki part. 2. Sectione 3. Art. 4. Qûæſtion moralium ad 1*mum*. Quod licitum ſit tales occidere, ad 2*dum*. Quod dictorum graſſatorum ſpolia milites non poſſunt ſibi uſurpare, ſed tenentur Dominis Legitimis reſtituere aut in horum defectu Hæredibus; ad 3*tium*. Hanc praxim quorumdam nobilium eſſe iniquam, qui tanquam Cooperatores graviſſime peccant, & ad reſtitutionem tenentur.

CASUS XCII.

SAbinus œconomus bonorum cujuſdam Dynaſtæ magni Nominis ſolicitus nimium de fertiliſſimis agris Domini ſui, dum aliquot Septimanis non plueret, cæpit quaſdam mulieres, quæ Sagæ exiſtimabantur pluvias ope Dæmonis impedientes, mandavitq; eas probare per aquas, ut quœ aquis innatarent, pro Sagis haberentur certò, & plectérentur, quæ vero mergerentur, ut innoxiæ abſolverentur. Sed Parochus probationem hanc improbavit, atque Sabino vehementer reſtitit. *Reſpondetur.* Parochum optime feciſſe. Quia hæc probatio Sagarum per aquas eſt omnino ſuperſtioſa & nunquam a Paſtoribus permittenda, ut recte annotavit P. Tylkowſki in ſuo ad Parochiam examine pag. 469. num. 1193.

CASUS XCIII.

SAlamina mulier delata ad Judicem Eccleſiaſticum tanquam Saga, & tradita Curiæ Sæculari, vi torturarum mortua eſt in carcere, nunquam crimen faſſa aut con-

victa. Quam Regulares in sua Ecclesia sepelivêre, cum Parochus noluisset. *Respondetur* Salaminæ non erat deneganda sepultura Ecclesiastica, si non fuisset confessa crimen aut convicta, ut resolvit memoratus Tylkowski citata pagina num. 1194. Secus si certo constituisset eam fuisse Sagam, & ipsa ex malitia fateri noluisset.

CASUS XCIV.

SAmuel Nobilis Polonus nimium avarus ob non soluta debita, quæ contraxerat ab Personis Ecclesiasticis fuit Excommunicatus, dumque paulo post in lethalem morbum incidisset, in articulo mortis fuit rite absolutus a suo Pastore, qui tamen defunctum sepelire noluit absque Episcopi facultate. *Respondetur* optimè factum esse. Quia Samuel beneficium sepulturæ Ecclesiasticæ non potuit obtinere, nisi præstita Satisfaciendi cautione, aut de licentia Episcopi, qui tamen indemnitati Creditorum providere debuit quemadmoddm declaravit pro Regno Poloniæ Leo X. per Bullam toties citatam *Sacro-Sanctæ universalis Ecclasiæ* editam anno 1515.

CASUS XCV.

SEbaſtianus tametſi inter rudes educatus, perſpicacis ipſe ingenii, quæſivit ex confeſſario in Sacro Tribunali pænitentiæ, utrum in Polonia conſvetudo aquis perfundendi homines promiſcui ſexus in Paſchalibus Feſtis, item dejiciendi ſimulacra in die Aſcenſionis Domini ex laquearibus Eccleſiæ, atque ducendi choreas circa ignes & arbores in pervigilio Sancti Joannis Baptiſtæ licita ſit *Reſpondetur* negative. Jta Synodus Provincialis Petricovienſis anni 1628. in Epiſtola Cardinalis Bernardi Maciciovii Primatis titulo de *Sacramentalibus & Cæremoniis earumque abuſu.* Jd ipſum patet ex Conſtitutione Synodi Lancicienſis primæ celebratæ ab Archi-Epiſcopo Gneſnenſi & Primate Regni Joanne Łaſki ut videre eſt lib. *1mo.* Conſtitutionum Provincialium. Tenentur proinde Concionatores, quemadmodum Synodus præcipit adhortari populum, ut hæc & ſimilia aboleantur tanquam ſuperſtitioſa, & non nunquam ſcandaloſa.

CASUS XCVI.

TEodorus Parochus in Polonia morti proximus ne in fine vitæ offendat, cupit ſcire, utrum Parochi in noſtro Regno abſque ſcrupulo teſtari poſſint de omnibus Bonis etiam ex reditibus beneficiorum Eccleſiaſticorum quæſitis idque abſque facultate Sedis Apoſtolicæ, cum hoc prohibitum videatur *c. Epiſcopi* 14. *quæſtione* 1. Item *c. cum in officiis*, *c. ad hæc de teſtamentis*. *Reſpondetur*: Teodorum poſſe teſtari. Quia hæc conſvetudo teſtandi de Bonis prædictis, quæ in Provinciis Poloniæ invaluit, ex conniventia Sedis Apoſtolicæ licite practicatur ut notat Piaſecki parte 2. cap. 5. Art. ultimo. Idem colligitur ex Conſtitutionibus Provincialibus Libr. 3. titulo de Teſtamentis ubi habetur expreſſum *cum ex conſvetudine Perſonæ Eccleſiaſticæ facere conſveverunt teſtamenta Nos Sacro hoc approbante C ncilio hujuſmodi conſvetudinem ſalutarem ad totam noſtram Provinciam amplian-tes, ſtatuimus, quod deinceps Clericis curatis & non curatis, teſtandi libera ſit facultas:*

CASUS XCVII.

THaddæus claritudine generis inclytus sed sceleribus infamis, cum comparere in Terrestri Judicio in termino ipsi præfixo timeret propter pænam sessionis in turri, ut vocant secuturam, finxit ægritudinem, accitoque ad se Sacerdote testimonium ab eo impetravit de sua ægritudine, ac si infirmus suorum peccatorum confessionem fecisset lethaliter decumbendo, ut factum esse a quibusdam memorant Constitutiones Provinciales Regni. *Respondetur* hanc praxim esse illicitam eamque improbari a Statutis Synodorum Poloniæ Libro 2. titulo de jurejurando. *Quia figmentum circa Sacramentum Pænitentiæ continent* ut ibidem Constitutiones loquuntur. Quare in tales Sacerdotes gravioribus pænis ab Ordinariis est advertendum.

CASUS XCVIII.

THeopilus Nobilis Polonus dum certis testibus in sua causa egeret, rogavit Tiburtium Sacerdotem sibi addictissimum, ut

in judicio juramentum deponeret de probitate teſtium quos Theopilus producebat, & de juſtitia producentis tales teſtes juxta quorumdam praxim in Regno Poloniæ. Fecit non illibenter Tiburtius quæ Theophilus volebat, nam hunc ſatis eſſe probum ſibi perſvaſerat, ab eoque nuſquam falſos teſtes adhibendos eſſe. *Reſpondetur.* Tiburtium non potuiſſe in hoc caſu citra piaculum jurare ut habetur citato libro & titulo in Conſtitutionibus Provincialibus Poloniæ pag. 127. ubî dicitur. *Omnibus Sacerdotibus Clericis & Laicis inhibemus quatenus nullus ipſorum talia præſtet juramenta, cum perjuriis viam aperiant, ſcandalis & peccatis. Unde ſi Preſbiter fuerit in hoc culpabilis, repertus carceri mancipetur, ſi Laicus, ſententia Excommunicationis percellatur.*

CASUS XCIX.

TImotheus Latro publicus bis captus, feliciſſimè ex carcere aufugit, tandem tertio deprehenſus a Magiſtratu condemnatus erat ad mortem eadem die obeundam. Sed interceſſit Parochus & inſtitit apud Magi-

ſtratum, ut Timotheus facta reatuum ſuorum confeſſione, Communionem Sacram perciperet, & adhibita diligentiori cuſtodia ſequenti die plecteretur. E contra Magiſtratus Urbis conſtituit eum eadem die è medio tollere præmiſſa ab ipſo Confeſſione peccatorum, ſive percepturus eſſet Viaticum ſive non? ne elaberetur. *Reſpondetur* Timotheum non potuiſſe a Magiſtratu impediri a ſuſceptione Viatici, neque eadem die quo communicaſſet interfici, ſed in craſtinum. Jta Synodus Provincialis Petricovienſis anno 1628. celebrata titulo *de Eucharistia Capite mulctandi* (inquit Synodus.) *non priventur communione a Magiſtratibus, neque eodem die mortem oppetant, quo communicarunt.*

CASUS C.

UBaldus pecunioſus ſenex Vilnæ in Lithvania pecuniam ſuam mutuo dabat, iam eo pacto ut elapſo anno eidem reſtituatur cum fructu per duodecim a centum; tum denique offerebat exgr. aureos Quinquaginta, ut ſibi quavis Septimana reſtituerentur floreni in moneta decem & novem.

Ad extremum vitæ pænituit quidem & abſolutionem a quodam pio operario Sacerdote Regulari obtinuit, ſed Parochus demortuo ſepulturam negavit. *Reſpondetur* optime: nam ut gaudere poſſit Ubaldus ſepultura jurare debuit ante abſolutionem & per fideiuſſores polliceri reſtitutionem, prout Synodus Cracovien. anno 1621. Die decima Februarii habet: *Si quis non ſervata præmiſſa forma uſurarium quempiam manifeſtum ſcienter ſepelire in Cæmiterio vel Eccleſia præſumpſerit, is authoritate Concilii Viennenſis ſententiam Excommunicationis ſe ipſo facto incurriße &c.*

Ad M. SSS. Trinitas Gloriam

JNDEX
MATERIARUM

H

I

